BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
13
22 D
16

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

3-21. d. 34
28
E
50
28.3.35
28
E
5.

HIERONYMI

ALEANDRI

IVNIORIS I. C.

REFVTATIO

CONIECTVRÆ ANONYMI

SCRIPTORIS DE SVBVRBICARIIS

Regionibus, & diœceſi Epiſcopi Romani.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVTETIÆ PARISIORVM,

EX OFFICINA NIVELLIANA.

Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, viâ Iacobæâ, ſub Ciconiis.

M. DCXIX.

Cum Priuilegio Regis, & Approbatione Doctorum.

Digitized by Google

SANCTISSIMO
PAPÆ AC D. N.
PAVLO V. PONT. MAX.
HIER. ALEANDER.

QVÆ gemina eſt apud iuriſperitos poſſidendi ratio, dum nimirum id agimus aut per noſmetipſos, aut per alios, vtramque Chriſtus adhibet in Eccleſiæ poſſeßione tuendà, quam ſuo adeptus eſt ſanguine, iniuſto incubatore eiecto qui princeps huius mundi audiebat. Siquidem & ſuo ipſe corpore præſens eſt in ſacroſancto Euchariſtiæ myſterio: & vicariam præterea operam Romanis Pontificibus mandauit: quod tu nunc munus P. B. nauiter obis bono rei Chriſtianæ. Eapropter quùm teterrimus idem humani generis hoſtis, iuriſque inuaſor alieni per frau-

dis ſuæ miniſtros atque emiſſarios omnia propemodum impugnet Eccleſiæ dogmata, duo tamen illa præcipuè vrget, vt auguſtiſſimum Domini corpus apud nos verè eſſe pernegent, vtque ampliſſimam Romanæ Sedis auctoritatem conijcere in arctum ſatagant, perinde quaſi rimam ſibi hiſce conatibus aperiri ſperet qua ſeſe in aliena vt olim intrudat, Chriſtive poſſeſſionem interruptũ, aut aliquo modo labefactatum iri confidat. Stultum illum! ſtultos eius ſatellites Hæreticos, qui diuinæ vim amplitudinémq; potentiæ necdum ſentiunt! & videmus tamen admirando huic Sacramento maius indies acceſſiſſe venerationis incrementum, atq; hiſce concertationibus identidem partam eſſe perpetuam Romanæ Eccleſiæ materiem victoriæ ac triumphorum. Neque verò veteranorum illa ſolùm manu, & virtute, ſed & tyronum operâ nouit peruincere. Id Libellus hic meus palam faciet, quo (ni fallor) coniecturam iugulauimus ab incognito auctore nuper emiſſam de Suburbicariis regionibus, & Eccleſiis, *rem aliàs quidem vexatam, excuſſámq;, ſed quæ nouo argumentorum apparatu prodiens retundi de integro mereretur. rumore præſertim increbreſcente, fuiſſe non ſine plauſu alicubi exceptã. Quùm mihi ea de re cum Scipione Card. S. Suſannæ diſſerere contigiſſet, atq; anonymi ſcriptoris quàverſutias, quà hallucinatio-*

nes coràm aperirem, ille vt est litterarum patronus, & Catholicæ veritatis vbiq; fautor, cohortatus me est, vti scripto sententiam meam promerem. quod eò feci libentius, quia domesticis quoque exemplis excitari me videbam ad curas meas, laboréſque pro Apostolica Sede subeundos. Habui paterno ex genere Cardinalē Brunduſinum aui mei fratrem, mihiq; cognominem. Habeo ex materno Atilium Amaltheum Athenarum Archiepiſcopum, Sanctitati tuæ probè cognitum. quorum Antiſtitum egregia opera apud complures Europæ nationes præſtita, permultáque in Eccleſiam collata officia & conſpicua ſunt omnibus, & nunquam intermoritura. Scio, libellum quem confutandum ſuſcepi, quòd exiguæ ſit molis, dignum tantummodò contemptu nonnullis eſſe viſum. at ſuum quoque virus ſcorpionibus ineſt, et phalangijs, quo enecare queant, minutæ quamuis ſint animantes. Quòd ſi vnum alterúmue ex imbecillioribus animis, Deo faciente, ab errore auocauero, in quem fortè tanquàm in ſcopulum praua illius doctrinæ ductu impegerint, an non operam ego meam perbenè collocatam exiſtimem? Hoc ſanè nomine non ingratum fore confido meum hunc qualemcunque laborem Sanctitati tuæ, cui gregis Chriſtiani ſalus præ rebus omnibus eſt cordi, quæque ſolicitam ſe adeò oſtendit in Catholica

veritate propugnanda. Vbi verò mei me voti compotem factum intellexero, ſiquid impetrare ab ingenij mei tenuitate potero, ad maiora quoque tuis ſub auſpiciis animum viréſque conuertam.



Typographus Lectori. S.

IBRVM, quem nunc edimus, Amice Lector, intra paucos dies Auctor, quamquam occupatus, absoluerat, eo consilio vt statim emissus Anonymi coniecturam è vestigio sequeretur. Omnes enim eius generis libellos plurimùm nouitate placere, illisque vnicam ferè in festinatione gratiam inesse sciebat. Sed dum aliis auocatus curis editionem differt, alioqui minimè festinabundus, prodiit interim R.P. Iacobi Sirmondi in eandem Anonymi Coniecturam Censura; quam seu scriptoris eruditio, seu fama spectaretur, sufficere existimans Auctor noster, proprium iam fœtum abiicere & velut parens multiplici prole generis incrementa fastidiens, statim à partu perpetuis abolere tenebris immiti sane consilio decreuerat, ni amicorum preces obstitissent. Illis si quidem placere non poterat tam multa perire quæ obseruatu dignissima, seu in Ecclesiastica historia, seu in cognitione Antiquitatis, seu in Iuris disciplina hoc libello continentur. Nec ideò videbatur dici posse acta eum agere qui noua pleraque proferret, præsertim cũ institutam Dissertationem latiùs exequeretur, & Anonymo in omnibus penè responderet. Quòd si in summa consentiret veritatis & pietatis, eam demum

esse notam. His tandem monitis cedens, & eorum auctoritati pariturus, qui tum dignitate, tum doctrina conspicui plurimum possunt sua nos edere passus est; Quo nomine & Auctori, & illis qui ab eo publicationem impetrarunt. Nobis denique gratiam te habiturum fore, Lector humanissime, non dubitamus Vale.

Approbatio Doctorum.

NOS *subsignati Doctores in sacræ Theologiæ facultate Parisiensi, certificamus perlegisse nos librum qui inscribitur,* HIERONYMI, ALEANDRI, IVNIORIS, I. C. refutatio coniecturæ Anonymi scriptoris de Suburbicariis regionibus, &c. *nihilque in eo offendisse quod Orthodoxæ fidei, aut bonis moribus aduersetur, sed omnia plurimum vtilia, quem proinde typis mandari opere precium fore censuimus. Datum Parisiis anno à Dominica Incarnatione milleſimo sexcenteſimo decimo nono die 2. Nouembris.*

F. A. BESCHV.

F. M. BRACHET.

CANDIDO LECTORI.

LIBELLI, qui nuper in lucem prodiit de Suburbicariis regionibus & Eccleſiis, auctorem noſſe auebam, candide Lector, nec dubito quin eadem te cupiditas inceſſerit, vbi compellatum in eius operis exordio te ſenſiſti. etenim ex eius qui loquitur dignitate momenti plurimũ ac ponderis orationi accedere ſatis conſtat. Latet ille tamen, atque vtinam Apellis more poſt tabulam & tanquàm ex abdito aliorum iudicia excipiens, ſpem ſanè conciperemus, fore tandem vt correctiones admonitus ſuſciperet, erroréſque deponeret. Interim dum quis ſit non apparet; quæramus cuias ſit & qualis: & quidem ortum ſe ille Galliæ debere, non ſemel innuit. Verùm neſcio an fides homini ſit habenda, cui veritas in reliquis non conſtat. Illud ſcio, id genus homines haud ſatis æquo animo ferri à nobiliſſimâ natione, cujus religionem fidemque ab Apoſtolorum temporibus ad ſuam ætatem, ſcribit D. Hilarius, illibatam, puréque fuiſſe cuſtoditam, neque vnquàm vel næuo inſperſam hæreticæ labis. Sed quid facias? *neque in bonâ ſegete* (vt aiebat Varro) *nullum eſt ſpicum nequam, neque in malâ non aliquod bonum.* Qualis verò tandem ſit, ipſe prodit ſe, cùm in toto opere, tùm præcipuè ipſo in limine. nam quid de eo ſentias qui ſe BONVM eſſe grandi hiatu iactat,

——qualem vix repperit vnum
Millibus è multis hominum conſultus Apollo?

Id profectò cognomenti vni conuenire Deo, ipſa nos æterna Veritas docuit, vt propterea vel hac temeritate ſordes ſibi pro laudibus ingerat. Iam verò & arbitrum ſe conſtituit nullâ expectatâ lege Mamiliâ terminis pro arbitratu figendis refigendis, finibuſq; diiudicandis. Sed noſſe amas, quàm rectè potuerit eâ in re ſe gerere? non ille decempedâ in ciuilibus prouinciis: non in metandis eccleſiaſticis diœceſibus aureo calamo vſus eſt, qualem in Apocalypſi, & apud Ezechielem adhibitum legimus in metatione Ciuitatis Dei: ſed lituo coniecturali, è cuius obliquitate quid expectare par fuit, niſi obliquas dimenſiones, ac tortuoſas fallacias? Inſaniores quinetiam molitiones præ manibus ſe habere iactabundus minitatur. Quare ne tàm audacter veritatis luminibus obſtruere tentet, occurrendum eſt hominis machinamento, nouúmq; opus nunciandum. quod fiet iactu lapidis: eius nimirum lapidis, qui è monte ſpontè abſciſſus ingentem monarchiarum ſtatuam proſtrauit, comminuitque. Diruetur nullo negotio ædificium iſtud, cuius fundamenta multò apparent fragiliora, quàm ſi eſſent è luto compacta. Ac quòd ipſemet ſectari ſe leuicula fatetur, atque adeo carbones ipſos: non aliud profectò expectandum inde tibi fuerat, candide lector, quàm (vt eſt in prouerbio) meri carbones pro theſauro.

Hæc dicit Dominus exercituum. Iſti ædificabunt, & ego deſtruam: & vocabuntur termini impietatis. Malach. 1.

IN TABVLAM CHOROGRAPHICAM REGIONVM

Suburbicariarum eiusque enarrationem.

QVAMVIS *Orci galeam indueris, video tamen te Coniector: eo videlicet modo, quo loquentes videbat Socrates. Te, inquam, video quasi limitum custodem, finiumque tutorem (quemadmodum statuebantur Hermulę apud veteres) munus tibi arrogasse suos cuique limites assignandi. Verum alia prorsus te formâ ab Hermulis ostentas. illi siquidem ita conformati erant, vt caput quidem affabrè fictum haberent, cetera informes essent, atque indistinctis præsertim pedibus cruribusque. tu quùm expeditissimis sis pedibus, quibus Occiduas plagas atq; Orientales peragrare celerrimè potes, appares tamen, vt est apud præstantissimum poëtarum,* sine nomine corpus. *Cæterùm vt per varias terrarum regiones vagari tibi libuerit; in suburbicariis tamen præcipuè pedem fixisti: adeoque tenaciter, vt se tibi conferri vix possit, qui olim in arce Capitolinâ*

Ioui ipsi regi noluit concedere.

Earum tu regionum limites & nomina tuo arbitratu constituis. nec verbis tantùm, sed & typo, vt ne oculi auribus inuideant. Sunt qui mirentur, cur tu vbi examine tàm diligenti orationis veluti penicillo eadem regiones appinxisti, delineatam nihilominus tabulam exhibere quoque volueris.

mihi tamen ad tui consilij penetralia & recessus (ni animi fallor) peruadere fas fuit. Tradit Tertullianus , propositam olim publicè ab nescio quo ex ethnicis ridiculam impiámque effigiem , cui aures asininæ , & pes alter vngulatus , apposito titulo : Deus Christianorum ononychites. *Hodie petulantes hæretici si non Christum ipsum , at Christi Vicarium Pontificem Romanum deformi facie , fronte cornibus toruâ , pedibus anserinis effingere consueuerunt. eo nimirum consilio , vt pueruli , rudésque homines haustum ex detestandâ huiusmodi imagine odium in ipsum Pontificem , vix ac ne vix quidem vllo tempore eijciant tanquàm prauum alimentum in membra transmutatum. Qui tam elegantium picturarũ repertor fuit & magister , non dubito quin tuam quoque manum per lineas duxerit in tuæ istius mappæ adumbratione. quę mappa præ Circensi illâ Tertulliano (sat scio) diceretur* Diaboli figura. *Non te fugiebat , delicatulos esse quosdam , qui legendi libros auersentur laborem , paucis quanquàm paginis absolutos. at tabulis huiusmodi curiosos omnium oculos effici , trahi , teneri. Hac tu ratione fore speraſti vt in istorum animos hominum tua insinuetur de Romanâ diœcesi opinio. Tabulæ subdis enarrationem. quæ tamen non tàm enarratio ipsius tabulæ , quàm eorum est compendium , quæ fusius allata leguntur in duabus dissertationibus. Methodum ipsam ex diatribis pithanôn Philippi Berterij mutuatus es ; è quibus & quæ tuo in libello probanda sunt corrasisti. at hominem malè identidem accipis , suppresso quamuis nomine ; ne quid forsitan te illi debere quisquàm persentiscere. Alios etiam Catholicâ veritate imbutos taciè lancinas:*

nominatim verò Bellarminum, & Baronium, duo præclara hiſce temporibus Eccleſiæ lumina. vt aliquid te eſſe crederemus, qui cum tantis heroïbus manum conſerere audeas. teneo te: vis (vt ille apud Tacitum) magnis inimicitijs clareſcere. Sed muſcam quis non rideat promuſcide quamuis inſtructam ſi congredi cum elephanto velit?

Initio tuæ enarrationis ais, Eccleſiã in Romana Republicã fuiſſe cõſtitutã. mirari conatus ſum tuũ iſtud effatum. an non & ad alias gentes peruaſerat Eccleſia? non in Perſidem? non ad Indos? Si ideo in Romanorum ditione conſtitutam intelligis, quia ipſius Eccleſiæ caput Romæ ſedem fixit, rectè loquutus es. at minus rectè colligis, Epiſcoporum dignitates & gradus ad Magiſtratuum Romanorum typum fuiſſe omnino conformatas. Fuerint ſanè aliqua in parte conformes: non tamen is penitus Eccleſiæ ſcopus, vt Romanam politiam ſequeretur. id potius amplexa eſt, quod recta gubernandi ratio ſuaſit. Neque ideo maioribus ciuitatibus maiores Epiſcopi dati, quia maiores magiſtratus in eaſdem à Romanis mittebantur: ſed quia percommodum id viſum eſt, quemadmodum & ipſi Reipublicæ viſum fuerat in ſuis magiſtratibus conſtituendis, vt fuſiùs poſtea patefiet. Erigebant nationes ſuis Dijs templa. erexit & Eccleſia vero Deo. nunquid Eccleſia ethnicorum morem imitari voluit? minimè gentium, ſed (quod & ijs in mentem venerat) optimum factu cenſuit, loca vt eſſent, in quibus præcipuè Deo opt. max. cultus exhiberetur. quòd ſi ethnici templa nunquàm conſtruxiſſent, conſtructura tamen erat Eccleſia. Idem tecum reputa de ipſis magratiſtibus Eccleſiaſticis & ciuilibus. Finge verò

exortam Ecclesiam ante Cæsares. qui Romæ creandus erat episcopus, ad quem ex Romanis magistratibus conformasses? nónne ad Consules? ergo binos tu episcopos, eosq; annuatim Romæ constituisses. mirum etiam, quùm Romanum Episcopum Præfecto Vrbi contuliſti, cur non & annuum feceris, quemadmodum annuus magistratus erat Præfectus. Nosti præterea pleraque municipia à Duumuiris, Quatuoruiris, Septemuiris regi solita. num tribuendi illis erant bini, quaterni, septeni Episcopi? Dices, non eam tibi mentem circa numerum, circa tempus: ac subduces te ad modos territorij, prouinciarum, diœcesĕon. hęc quoque fuga frustra erit. Ciuilibus prouincijs & diœcesibus non semel immutationes contigerunt. Aliã diuisionẽ excogitauit Augustus, aliã Adrianus, aliam Constantinus. quam nam ex his amplexa est Ecclesia? si varias administrationes subinde recepit, doctum à te oportuit. at non feciſti. non enim fuit integrum. Allaboras præcipuè in Romano Episcopo, & Alexandrino, vt illos Præfectis componas Vrbico, & Augustali. quàm irritus fuerit labor, demonstrabitur in secunda Dissertatione. Præfectus Vrbi dictus est à Iuuenale (vt tu mones) facies toto orbe secunda, at pontifex Romanus primus est in vniuersa Ecclesia. Quid igitur secũdo primũ assimilas? Primũ esse tu quoq; fateris. at (dices) nomine tenus & sessione, non etiam auctoritate. vana isthæc sunt, & ridicula, vt suo loco dicemus. Metropolitę Episcopos præcedunt auctoritate: metropolitas Patriarchæ: ante ipsos Patriarchas quem collocabis? si neminem: iam defectam ordine Ecclesiam statues, cuius tamen studiosissimam dixisti. Christus (inquies) Ecclesiæ caput est, qui

id neget? an non & Deus regnorum omnium eſt Dominus atqui Galli ceteriq; populi præter magiſtratus minores, maiores, vnum omnibus præficiunt, Regem nempe, aut ſi quo alio nomine appellare lubet, non contentiea, quæ oculos fugit, gubernatione Dei. Eccleſia ſuum agnoſcit caput (chriſtũ oculis non ſubiectum: ſubiectum verò Romanum Pontificem. Is quùm vniuerſę Reip. Chriſtianæ preſit, ſpecialem tamen vrbem habet, ſpecialem prouinciam, ſpecialem diœceſim. Alexandrinus patriarcha vrbem habet ſpecialem, prouinciam itidem ſpecialem. qui eius diœceſim appellauerit ſpecialem, minus propriè loquetur. non enim adminiſtrationem habet extra fines ſuę diœceſeos. Vides Hincmarum Remenſem Alexandrini, & Antiocheni diœceſes ſimpliciter nominaſſe: diœceſi Romani Epiſcopi appellationem ſpecialis *addidiſſe; quia videlicet pręter ſuam ſpecialem, ius etiam illi eſt in ceteras diœceſes. vt Soli cœleſtium luminum præſantiſſimo aſſignata eſt ſua cæli portio, quam non deſerit. omnibus tamen lucet, ſplendoremq; alijs ſtellis fœnerat. Romanæ Eccleſiæ congruere aptè videntur elogia illa apud ſapientiſſimum Regem:* Pulchra vt luna: electa vt Sol: terribilis vt caſtrorum acies ordinata. *Veluti luna inter ſtellas, ita Romana inter reliquas Eccleſias eminet. Luna noctu viã errantibus aperit: à Romana Eccleſia petenda lux eſt declinantibus à recta credendi ſemita. ſuum lumen Soli debet luna: Chriſto Eccleſia.* Electa *verò* vt Sol *dicitur; quia non ſuapte natura Sol eſt (Chriſtus enim eo pacto Sol iuſtitiæ appellatur) ſed electione, ſed conſociatione. Electa dicitur ad arguenda ſectariorum mendacia, qui fingunt, ſtatui à Catholicis*

caput Eccleſię Romanum Pontificem, excluſo vero capite Chriſto. Caput eſt Chriſtus : caput Romanus antiſtes, Sed caput ſecundarium à primo capite ; viſibile caput poſt illud oculis ſenſibuſque ſubtractum. Sicut Sol Romana Eccleſia, ſed electa ab ipſo primario Sole Chriſto. per hanc enim ſuum promanare lumen voluit ad ceteras Eccleſias. eleganter D. Leo : quamuis in populo Dei multi ſacerdotes ſint, multíque paſtores, omnes tamen propriè regit Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus. *Denique* terribilis *dicitur* vt caſtrorum acies ordinata : *quia ſubegit gentes, deuicit hæreſes. quia diabolo terrori eſt eiuſq; miniſtris hæreticis : quibus ideo inuiſa, quia* ordinata. *illuc enim ij anhelant*, vbi nullus ordo. *nec eructare deſinunt ex inferorum portis odiorum flammas, maledictorum putores. haſce portas eſſe hæreticorum ora teſtatur D. Epiphanius. Ipſa tamen Eccleſia in ſolida petra fundata iſthæc non magis curat, quàm Luna latratus canum, quàm Sol Atlantium conuicia.*

DE

REGIONIBVS SVBVRBICARIIS

DISSERTATIO PRIMA.

CAPVT PRIMVM.

DECLARATVS DIO AB ANONYMO non intellectus. Non videri olim à Magistratibus appellatum ad Præfectum Vrbi. Senatus nomine non intelligitur Præfectus Vrbicus. Suetonij loci illustrati. A Præfecto Prætorio non appellabatur. aliud ius in Præfecto Vrbi. De iure Togæ. Quæ sint vrbes Togatæ apud Statium. A Magistratibus P. R. appellatus: quodam tempore Præfectus Vrbi. aliæ Prouinciæ postea assignatæ eidem Præfecto.

SI cui recensẽatur errata, quibus, Anonyme, tuus scatet libellus, is haud dubiè grãde abs te volumen elucubratum persuaserit sibi: Exiguâ tamen illum mole videmus, sed maculosum adeò, vt veritus propè sim, ne tu de libris idem

censeas, quod de marmoribus, quæ maculis commendantur. Non tuum tamen opus variato marmori, sed leproso magis corpori conferendum est. Ac mirè quadrant in illud hæc D. Augustini verba ex lib. 2. quæst. Euang. *Leprosi non absurdè intelligi possunt, qui scientiam veræ fidei non habentes, varias doctrinas profitentur erroris. non enim abscondunt imperitiam suam, sed pro summâ peritiâ proferunt in lucem, & iactantiâ sermonis ostentant. Nulla porrò falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat. vera ergò falsis inordinatè permixta in vnâ disputatione, vel narratione hominis, tanquàm in vnius corporis colore apparentia significant lepram, tanquàm veris falsísque colorum fucis humana corpora variantem, atque maculantem.* Arcendus igitur tuus libellus tanquàm leprâ infectus è limine Domus Dei. quanquam non infructuosum fore existimo, si nos valetudini consulentes, quid in eo sani sit, quid labe inquinatum, conemur facere palàm. Ac penè quidem fuit, vt intactam prætermitterem priorem dissertationem. ille enim scopus fuit nostri laboris, ne tu verborum lenocinio, & fucatis argumentis fraudi esses cuipiam in ijs, quæ ad rectam spectant credendi rationem ab Ecclesiâ Catholicâ præscriptam. Atqui Catholicorum hominum parui refert, verá ne an falsa proferas de Regionibus Suburbicarijs, de iurisdictione, & potestate Præfecti Vrbi, aliorúmve ciuilium Magistratuum. Attamen & gratiam me initurum existimaui ab ijs, qui litteras amant, præcipuéque Iurisprudentiam, si tua errata hac etiam in parte detegerem; quùm viderem præterea di-

recta hæc omnia ad ea, quæ in posteriore dissertatione sunt discutienda.

Commendatâ Præfecti Vrbi dignitate, quoúsque potestas eius se protenderit, inquiris asseríque, antiquitus, hoc est sub Augusto, & Nerone, appellationes ad eum ex vniuerso Orbe Romano delatas: mox sub Constantino iuniore, anno Christi 357. coangustatam huiusmodi auctoritatem ad regiones centesimo ab vrbe lapide comprehensas. Locupletes ad id peruincendum testes adducis Dionem & Suetonium, sed & poëtam Papinium, quamuis ignorare non debeas, multa mẽtiri solitos poëtas. Verùm (si quid video) eorum testimonia, si non aduersus te, pro te certè non stant. Dionis verba lib. 52. ex oratione Mæcenatis ad Augustum prius proferamus: *Πολίαρχος δὲ δὴ τις ὲκ τῶν τοῦ πολιτικοῦντων καὶ ὲκ τῶν πρώτων τὰ κεφάλαια τοῦ πολιτεύματος ἀποδεικνύσθω. οὐχ ἵνα ἀποδημησάντων που τῶν ὑπαρχόντων ἀρχῇ, ἀλλ' ἵνα τά τε ἄλλα ἀεὶ τῆς πόλεως τοῦτο τῇ καὶ τὰς δίκας, τάς τε τῶν δούλων πρώτων ὧν ἔξεστιν ἐρχόντων ἐφεσίμους τε καὶ αἰαπομπίμους, καὶ τὰς τῶν θανάτου, τοῖς τε ὲν τῇ πόλει, πλεῖον ὧν αὐ ἔξεστιν, καὶ τοῖς ἔξω αὐτῆς μέχρι πεντήκοντα, καὶ ἑξακοσίων σταδίων οἰκοῦσι, κρίνῃ, Praefectus etiam quidam Vrbis ex primarijs viris, ijsque qui officia omnia iam antè administrauerint, creandus est; non vt per absentiam Magistratuum regimen obtineat, sed vt cùm ceteris in rebus perpetuò Vrbi præsit, tum illas quoque causas, in quibus ab omnibus, quos dixi, Magistratibus prouocare licet, itémque capitales, ijs exceptis, quas mox dicam, in Vrbe, & extra eam ad sexcenta, & quinquaginta vsque stadia iudicet.* Appellationes, de quibus sic Mæ-

cenas, mihi quidem non aliæ sunt, si rectè calculum pono, nisi quas ab Vrbanis Magistratibus interponi contigisset. adde, & addidisse placet, qui regionibus præerãt centesimo lapide inclusis. Nam Præfecti Vrbi notio ijs terminis coërcebatur l. 1. §. 4. D. de Offic. Præ. vr. neque enim video Mæcenatem in eâ orationis parte de alijs verba fecisse, quàm de Prætoribus, Ædilibus, ceterisq; Vrbanis Magistratibus dicturum: posteà de Prouincialibus, quod & fecit. Cur enim coangustantia illa verba ὧν ἔφην, abs te non sunt animaduersa? an hæc referebas ad πρώτα τε καὶ ἥκιστα, quæ nupèr nominauerat? quis verò credat Mæcenatis consilium id fuisse, vt Præfecturam Vrbicam consequi nemo posset, qui præter Vrbanos Magistratus non Prouinciales quoque omnes gessisset?

Quod si demus, Mæcenatem de Prouincialibus quoque intellexisse; num ideò constabit, eius ab Augusto consilium probatum vndequaque fuisse, ac receptum? Suspicari magis licet, neutras à Magistratibus ad Præfectum Vrbi delatas eo tempore appellationes: hoc est, neque Vrbanas, neque Prouinciales. De Augusto hæc scribit Suetonius cap. 33. *Appellationes quotannis Vrbanorum quidem litigatorum Prætori delegabat Vrbano; at Prouincialium Consularibus viris, quos singulos cuiusque Prouinciæ negotijs præposuisset.* Cùm primùm incidi in hunc locum, conieci, non *Prætori* legendum esse, sed *Præfecto*. id posteà reperi & ab alijs animaduersum. Appellabatur igitur Imperator à Magistratibus, tam Prouincialibus,

quàm Vrbanis: isque causas tantùm Vrbanas Præfecto delegabat, cuius nimirum curæ Vrbs erat cõmissa: Prouinciales alijs. At dices, promiscuas fuisse appellationes tam ad Præfectum, quàm ad Augustum: ab ipso autem Augusto cohonestatum fuisse Præfectum suarum delegationibus causarum. Verum id forsitan esse potuit, sed mallem demonstrationibus vteremur, quàm diuinationibus. Quùm idem Suetonius de Caligulâ sic ait cap. 16. *Magistratibus liberam iurisdictionem, & sine vllâ appellatione concessit*: si Præfectum Vrbi fas tum fuisset à Magistratibus appellare, cur non & ab istiusmodi appellationibus iurisdictionem illorum exemisset Caligula, qui liberam concedere voluit? Locum tu allegas eiusdem scriptoris ex Neronis vitâ cap. 17. vbi cautum esse scribit, *vt omnes appellationes à iudicibus ad Senatum fierent.* Non de Magistratibus hîc Tranquillus capiendus est, sed de priuatis iudicibus, à quibus tam Senatus, quàm Princeps appellabatur, eâ tamen differentiâ adhibitâ, vt qui ad Principem prouocabant, si succumberent, pœnâ quadam mulctarentur. quod & ad prouocationes ad Senatum factas extendit Nero, teste Cornelio Tacito lib. 14. *Auxitque patrum honorem, statuendo vt qui à priuatis iudicibus ad Senatum prouocassent, eiusdem pecuniæ periculum facerent, cuius hi, qui Imperatorem appellauêre. Nam ante vacuum id solutumque pœnâ fuerat.* Itáque, quod alteri deest ex his scriptoribus, supplendum est ex altero. Cæterùm, tua illa ad Suetonium interpretatio, *ad Senatum ac proinde Senatus præsulem Præfectum Vrbi*, quæ &

Aristidis loco à te allato aptatur, non vsquequáque vera censenda est. liquet enim, discussas plures causas in Senatu, non à solo Præfecto cognitas. Ac quùm M. Aurelius (Capitolino teste) *Senatum multis cognitionibus, & maximè ad se pertinentibus iudicem dedit*: sana parùm eius censebitur sententia, qui de Præfecto Vrbis hîc intelligi dicet. Illud quóque de eodem Imperatore scriptor idem tradit: *Senatum appellationibus à Consule factis iudicem dedit.* poterat quidem Imperator & Præfectum dare iudicem; sed maluit Senatum ipsum, ne Consulem dehonestasse videretur, appellationes delegans minori Magistratui. vide l. 1. D. de appellat. Quùm ait Vlpianus, appellari à Senatu non posse Principem, l. 1. D. A quib. appell. non lic. censés ne eodem priuilegio munitum fuisse Præfectum Vrbi? atqui nuspiam (ni fallor) id reperies. de Præfectis enim Prætorio tantùm traditum est, eorum auctoritatem adeo esse auctam, vt appellari ab ijs non posset, l. 1. §. 2. de Offic. Præf. præt. illi etenim soli vice sacrâ cognoscere verè dicebantur l. 16. C. Theod. de appell. reliqui Magistratus, quibus nihilominus indultum erat, vt vice sacrâ iudicarent, censebantur potius imaginem Principalis disceptationis accepisse, l. 11. C. Theod. eod. statutum quidem fuit olim à Constantio, ne vllus clarissimus à Præfecti Vrbi sententiâ prouocandi vsurparet licentiùs facultatem: sed re melius perpensâ id retractauit, ac vetus ius reduxit. vide l. 23. eod. tit. C. Theod.

Superest Statij locus ex lib. 1. Siluarum, vbi Rutilium

Gallicum Præfectum Vrbi sic alloquitur:

Inq; sinum quæ sæpe tuum fora turbida questu,
Confugiunt, legesq; vrbesque vbicunque togatæ,
Quæ tua longinquis implorant iura querelis.

Togatarum (inquis) *vbicúmque vrbium appellatione omnes omnino, quæ sub Orbe Romano fuêre, Statius intellexit.* Vereor, vt quemquam sis reperturus, qui tuæ isti explicationi applaudat. perinde est enim, ac si quis diceret, togatam Galliam ideo sic dictam, quia sub imperio Romano erat (quùm tamen & reliqua Gallia cis Alpes, & postmodum Transalpina Romanis itidem parerent) *gentémque togatam* apud principem poëtam, populos intelligi, quicunque in Romanorum ditione essent, quantumuis peregrinis legibus viuerent, peregrino habitu vterentur. De togâ, quę proprium erat gestamen ciuium Romanorum, res est protrita. Non te clàm esse potest, eius indumenti vsum peregrinis fuisse interdictũ. Hinc Claudius Imperator, vt auctor est Tranquillus cap. 15. *Peregrinitatis reum, ortá inter aduocatos leui contentione, togatúm ne an palliatum dicere causam oporteret, quasi æquitatem integram ostentans, mutare habitum sæpius, & prout accusaretur, defenderetur-que iussit.* hinc apud Plinium legimus lib. 4. epist. 11. caruisse iure togæ, quibus aquâ, & igni interdictum erat. Nimirùm quia hi veluti etiam deportati, ciuitatem amittebant §. 1. Instit. de cap. dimin. Ideóque obsides, qui conditionis erant peregrinæ, si togæ vsum à Principe impetrassent, tanquàm ciues habebantur, vt heredes institui, vt testamenta condere possent l. 32. de iure fisci. ac

ſi qua vrbs ciuitate Romanâ donabatur, eius ſtatim ciues togam ſumebant. quod de Carthagine vſu veniſſe, tradit Tertullianus, quùm ſcilicet colonia deducta eſt *magnæ in veſtigijs Carthaginis*, vt loquitur Plinius lib. 5. cap. 4. qua de re Plutarchus in Gracchis. verba Tertulliani lib. de Pallio ea ſunt: *vbi mœnia Statilius Taurus impoſuit, ſolemnia Sentius Saturninus enarrauit, quùm concordia iuuat, toga oblata eſt. Proh quantum circummeauit! à Pelaſgis ad Lydos, à Lydis ad Romanos, vt ab humeris ſublimioris populi Carthaginienſes complecteretur.* Quid ni igitur ſint Papinio *Vrbes togatæ*, quæ iure vtebantur ciuitatis Romanæ? Quarum ciues imploraſſe dicuntur iura atque auctoritatem Præfecti Vrbi, quùm fortaſſe à Prouincialibus Magiſtratibus malè habebantur, quod non temerè licebat. Ideò Plinius iunior, quùm Bythiniæ præeſſet, Chriſtianitatis reos, qui ciues Romani erant, adnotauit in Vrbem remittendos, vt ipſemet teſtatur lib. 10. epiſt. 97. ac vocem illam, *Ciuis Romanus ſum*, multis ſæpè opem attuliſſe, & ſalutem etiam inter barbaros, aiebat Cicero in Verrem. Videri itaque poteſt ex Papinij verbis, Præfecto Vrbi curam incubuiſſe tuéndi ciues Romanos, vbicúnque terrarum eſſent. Inclinat tamen animus, vt ſuſpicer, eum licentiâ quadam poëticâ (Statianâ potius, quæ cæteris poëticis perſæpè audacior) *togatas vrbes* dixiſſe, quæ Magiſtratus togatos haberent, Metropoles nimirum Prouinciarum, quæ populi Romani erant. Etenim factâ Prouinciarum diuiſione inter populum, & Auguſtum, Magiſtratibus, quos

Auguſtinus

Augustus suis Prouincijs præfecit, datum est, vt inducrent τὴ στρατιωτικὴν στολὴν, quemadmodum scribit Dio l. 53. Porrò auctâ Præfecti Vrbis auctoritate, concessas eidem constat (quo primùm tempore non liquet) appellationes à Magistratibus Prouinciarum populi Romani. Quapropter, quod apud Vopiscum in Floriano ex quibusdã priuatis epistolis profertur: *Præfecturæ Vrbanæ appellatio vniuersè decreta est:* & iterum, *redierunt ad Præfectum Vrbis appellationes omnium potestatum, & omnium dignitatum,* coarctãdum est ad eos, quos diximus, Magistratus, qui populi prouincias regebant. Siquidẽ hæc ibidem recitat Vopiscus ex epistolâ Senatus ad Curiam Carthaginiensem: *omnis prouocatio Præfecti Vrbis erit, quæ tamen à Proconsulibus, & ab ordinarijs iudicibus emerserit.* Proconsulum nomen gerebant, qui in populi prouincias mittebantur. itáque Suetonius de prouinciarum diuisione ab Augusto facta sic loquitur cap. 47. *Prouincias validiores, & quas annuis Magistratuum imperijs regi nec facile, nec tutum erat, ipse suscepit: ceteras Proconsulibus sortitò permisit.* Quæ Prouinciæ à Principe Senatui populóque reddebantur, mutatis Magistratibus Proconsules recipiebant, Dio. lib. 54. τότε δ' οὖν καὶ τὴ Κύπρον, καὶ τὴ Γαλατίαν τὴν Ναρβωνησίαν ἀπέδωκε τῷ δήμῳ, ὡς μηδὲν τῶν ὅπλων αὐτῶν δεομένας. καὶ ὕστερον αὖθις ἐπαι, καὶ ἐς ἐκείνας τὰς ἐθνῶν πέμπειν ἤρξαντο, *eo tempore Cyprum, & Galliam Narbonensem populo reddidit, quòd suis armis minimè indigerent. atq; hoc pacto Proconsules in hasce quóque Prouincias mitti cœperunt.* Ex aduerso, quæ à populo ad Cæsarem transibant, po-

teſtates Proconſulares amittebant. Tacitus primo Annal. *Achaiam, & Macedoniam onera deprecantes leuari in præſens Proconſulari imperio, tradique Cæſari placuit.* Quid appellatione *ordinariorum iudicum* intelligere Senatus voluerit apud Vopiſcum, non liquidò conſtat. video deſignari hoc nomine rectores Prouinciarum in l. 33. C. de epiſc. & cler. in l. 6. C. de modo mult. in l. 7. de Offic. Rect. prou. & alibi. at in eâ Senatus epiſtolâ non omnes, ſed illi tantùm qui populi Prouincias adminiſtrarent, innui videntur: puta ſi Prætores, aut quo nomine præter Proconſulum inſigniti eſſent. Siquidem extraordinarij quodammodo cenſeri poterant rectores Prouinciarum Imperialiũ, quia non annui Magiſtratus erant, ſed tempus ijs definiebatur arbitratu Principis, quòd elicitur ex loco Suetonij nuper laudato, & ex Dione, quùm ait lib. 53. τῇ τε ὧν ἐπικλήσῃ τῇ τῶ αὐτοκράτορος τὰς αἱρετὰς χρῆναι, ᾗ ὅτι πλείσῳ, καὶ ὀνειδῶ χρόνοι. ἐφ' ὅσον αὐ ἑαυτοῦ δόξοι, ἄρχειν ἐποίησε, *porrò à ſe* [Auguſto] *deſignatis, & Proprætorum nomen tribuit, & diuturnius adminiſtrationis tẽpus quam annuũ conſtituit, prout ſcilicet ipſi videretur.* Apparet igitur, non ab omnibus omninò Prouincialibus rectoribus, ſed ab ijs omnibus, qui populi Prouincias moderarentur, appellari fas fuiſſe ad Vrbi Præfectum. Atque haſce Prouincias ſignificari à Caſſiodoro quis credat, quùm in formulâ Præfecturæ Vrbanæ ſic loquitur: *Ditioni tuæ non ſolum Roma commiſſa eſt (quamuis in illâ contineantur vniuerſa) verùm etiam intra centeſimum miliarium poteſtatem te protendere antiqua iura volue-*

runt : ne tantæ ciuitatis iudicem muralis agger includeret, quùm Roma omnia posßideret. &) tu etiam ex designatis lege Prouincijs ab appellatione cognoscis. verùm id ius appellationum diuersam eo tempore formam acceperat. Nam post diuisum Imperium prouocationes à Proconsulibus ad Præfectum prætorio, & ad Quæstorem deferebantur. l. præcipimus 32. C. de appellat. quæ tamen lex ad Orientale imperium spectare videtur. Sed & ante hanc constitutionem assignatæ quædam Prouinciæ fuerant Præfecto Vrbi Constantinopolis, aliæ Præfecto Vrbi Romæ. Eæ, per quas interponi appellatio poterat ad Præfectum Constantinopolitanum, recensentur in L. quùm appellatio 23 C. de appellat. Quæ verò lex Prouincias designauit (vt loquitur Cassiodorus) Præfecto Romæ, nusquam (vt opinor) extat. Sed si antiquiora tempora respiciamus, statuendum propemodum est, solemnem ac propriam Præfecti Vrbi administrationem Vrbem Romam fuisse, & finitimas regiones ad centesimum vsq; lapidem: speciatim ei postea tributum à lege esse, vt & causas cognosceret, quæ ex populi Prouincijs in Vrbem prouocatione deferrentur. æquum enim visum fuit, vt ad Senatum, eiúsve Præsulem (quemadmodum eum nominat Cassiodorus) appellari posset à Magistratibus, quos Senatus ipse constituebat: à *togatis Vrbibus*, vt appellat Statius, ad *togatam dignitatem*, vt Vrbis Præfectum nominat Cassiodorus. Ac nescio an Ausonius hûc respexerit, quùm de Narbonensi Gallia, quam ab

Augusto restitutam populo supra indicauimus,& Proconsulari dignitate ornatam ita recinit:

——— *tu Gallia prima TOGATI*
Nominis attollis Latio Proconsule fasces.

CAPVT SECVNDVM.

VLPIANVS DVOBVS LOCIS explicatus. Quæstiones criminum ex Oppidis in Vrbem trahebantur. De miliario. Comprobata Dionis emendatio. Præfectus Vrbi Diœcesim non habebat. Vicarij Vrbani diœcesis. Constitutiones quædam Codicis Theodosiani illustratæ.

EX ijs, quæ superiore capite allata à nobis sunt, tutior (ni fallor) nostra apparet coniectura de Præfecti Vrbis potestate,atq; administratione, deq; appellationum iure, quod ipsi cõpetebat. Hinc totam tuam molitionẽ, quæ non satis firmo nitebatur fundamẽto,iam nutantem vides,ac facile ruituram. nam si non à cũctis Romani Orbis Magistratib. Præfectus Vrbi appellabatur, conijcere profecto tibi haud erit integrum quod secunda diatribâ facere es ausus, Romanum Episcopum ad eius Præfecti exemplum appellationes sibi ab omnibus Episcopis vendicasse. Sed & si ea fuisset, quam tu au-

tumas, & cauillaris, Præfecti Vrbi iurisdictio ac potestas, haud tamen dicendus esset Romanus Pontifex ad eius sese administrationem vlla ratione conformasse. Verùm hæc vberius in posteriore dissertatione. Nũc ad Præfectum ipsum redeamus, cuius administratio centesimo ab vrbe lapide continebatur. Ad eosdem limites porrectam aliquando iurisdictionem aliorum Vrbanorum iudicum, indicat l. 2. Cod. Theod. de integr. rest. vbi hæc sunt verba: *Placuit post completum vicesimum & quintum annum, ex eo quo vicesimi & sexti anni dies illuxerit, ad interponendam contestationem in Vrbe Româ vsque ad anni tricesimi extremum diem spatia prorogari, & intra centesimum Vrbis Romæ miliarium, si tamen ab ijs iudicibus, qui Romæ sunt, fuerit iudicandum.* nisi hoc intelligamus de iudicibus, qui dabantur à Præfecto Vrbi.

Hosce terminos designari ab Vlpiano, quidam putant, quùm ait in l. vlt. de Off. præf. vrb. *Præfectus Vrbi, quùm terminos Vrbis exierit, potestatem non habet.* Sed quid illud est, quod addit: *extra Vrbem potest iubere iudicare?* Emendabat vir doctus *intra Vrbem.* ægrè tamen persuaserit, superuacanea istha̧c verba à Iurisconsulto fluxisse. cur enim in dubium vocaretur, num Præfecto fas fuisset intra Vrbem iubere iudicare? Alij existimant per *terminos Vrbis* centesimum lapidem intelligi: *at extra Vrbem* nihil esse aliud nisi extra muros Vrbis, vt illud Vlpianus voluerit; extra centesimum quidem miliarium nullam fuisse Præfecto Vrbi iudicandi

poteſtatem : at intra eos limites quanquàm extra Vrbis muros, nihil obfuiſſe, quominus ſuam exerceret iuriſdictionem. Vera quidem hæc ſententia eſt:aliud tamen Vlpianus hîc voluit, dùm nihil eſſet, cur eâ de re ambigeretur, & clarioribus alioqui verbis vtendum ei fuerat. Eſt qui cenſeat *extra terminos Vrbis, & extra Vrbem,* idem eſſe,& denotare muros Vrbis vel cõtinentia. illud verò *extra Vrbem* non referri ad Prçfectum,ſed ad eos quibus iudicãdi munus mandaretur. Hoc nimirum ſenſu, vt Prçfectus in Vrbe manẽs dare iudices extra Vrbem poſſit,dummodò nè extra centeſimum:non poſſit tamen muros vrbis egreſſus. Verum quùm nulla diſcriminis afferatur ratio, cur quçſo in ſuburbijs commoranti auctoritatem illi adimamus dandi iudices, dùm eius protenderetur iuriſdictio ad limites centeſimi lapidis ? Interpretantur quidam *extra Vrbem* , hoc eſt,extra centeſimum miliarium , ſed quoniam credendum non eſt Præfecto ius fuiſſe illic dandi iudices , vbi notionem poteſtatémque nullam habebat, àrg. l. vlt. de Iuriſd. aiunt verba illa *extra Vrbem* non ad iudices dandos, ſed ad Præfectum ipſum accommodari : vt nimirum dum extra ſuç adminiſtrationis terminos moraretur, non ei licuerit cauſas cognoſcere eiuſdem adminiſtrationis , licuerit tamen iudices in eâ dare. Sed ſi hçc fuit Vlpiani mens, hoc potius ſimilíve modo loquutum oportuit: *Præfectus Vrbi , quùm terminos Vrbis exierit , iudicandi poteſtatem non habet : poteſt tamen iubere iudicare.*

Si meam mihi symbolam conferre hûc liceat, dixerim de rebus diuersis loquutum esse Vlpianum: primo loco de mero imperio, altero de iurisdictione. *Potestatis* nomine merum imperium significari, notum est ex l. 3. D. de iurisd. l. potestatis de verbor. sign. Ad iurisdictionem pertinere iudicis dandi licentiam, liquet ex d. l. 3. de Iur. Termini verò Vrbis neutiquam censeri possunt, qui ad centesimum miliarium erant: neq; eousq; Vrbs terminabatur, sed Præfecti Vrbici administratio. Vrbis ipsius appellationem muris finiri apertis verbis tradit Paulus in l. 2. D. de Verb. sig Præfectus Vrbi & merum habebat imperium, hoc est ius gladij, & iurisdictionem. Hanc exercere poterat etiam extra vrbem vsq; ad terminos suæ administrationis. illud in Vrbe tantùm. Nam quę imperij sunt, angustius vsurpantur, vt pote quæ nec mandari possint, l. 1. de Off. eius, cui mand. est iur. Et pręterea quæstiones rerũ capitalium ex oppidis in Vrbem pertrahebantur (vt mox dicemus) tantum abest vt Prętectus Vrbem egressus cognitionem de ijs habere posset. Hæc videtur mens fuisse Vlpiani; quæ clarior fit ex epistolâ 127. Symmachi, lib. 9. qua dicitur, non potuisse Pręf. Vrbi cognoscere de incesto à Maximo quodam cum Primigeniâ virgine Vestali perpetrato in Monte Albano, quùm reum tanti criminis vrbem ingredi nefas esset, ipse autem Præfectus in longinquis potestatem exercere nequiret, quùm id præsertim ex eo criminum genere esset, de quibus pœnas sumere non licebat,

niſi eo loci vbi perpetrata erant.

Quùm idem Iuriſconſult. in l. 1. §. 4. de Offic. Præfect. vrb. ex imperatoris Seueri epiſtolâ definiuerit, ad Præfectum Vrbi pertinere quicquid intra Vrbem admittitur, atq; intra centeſimum miliarium, vltra ipſum lapidem egreſſum eſſe eius notionem; cur initio ità loquitur: *omnia omninò crimina Præfectura Vrbis ſibi vindicauit, nec tantùm ea, quæ intra Vrbem admittantur; verùm ea quóque quæ extra Vrbem intra Italiam:* quod ex eâdem Seueri epiſtolâ ſe collegiſſe fatetur? Intelligendum eſt fortaſſe, Præfectum Vrbi vſq; adeò ſuam extuliſſe auctoritatem, vt quaſdam etiam præter ius ſibi vſurpauerit cognitiones. Quod ex eo oriri potuit, quia cura interdum Vrbis totiuſq; Italiæ alicui mandabatur; veluti Auguſtum Tauro feciſſe tradit Dio l. 54. καὶ ἅπαξ (inquit) τὸ μὲν ἄλλο τῷ Ταύρῳ μέχρι τῶν ἄλπεων Ἰταλίας διοικεῖν ἐπιτρέψας, &c. Id correxiſſe videtur Seuerus, ſtatuiſſeq;, ne limites centeſimi lapidis eius poteſtas, & iuriſdictio egrederetur. itáque prima Vlpiani verba ad factum pertinent, poſteriora ad ius. Aut ſi non id Seuerus correxit, quod Vlpianus non fuerat præteriturus, interpretanda hoc modo videntur Iuriſconſulti verba: vt quę admittebantur in Vrbe & intra centeſimum lapidem, pertinerent ad Præfectum iure ſui Magiſtratus, quæ vltra eos limites ac intra Italiam, ad eundem nihilominus ſpectarent, non tamen vi Magiſtratus, ſed ex conſuetudine, quę paulatim inoleuit, & vim iuris obtinuit, ex quo is cognitiones quóque illas ſibi vindicaſſet.

dicasset. Haud enim sunt audiendi qui Vlpianum postremis verbis declarare existimant, quod initio attulerat. siquidem alia sunt verba epistolę Seueri, quæ postremo loco interpretatur Vlpianus. Et alioqui nemo credendus est ita ineptè atque impropriè fuisse loquuturus, vt terminos centesimi lapidis designans, *extra Vrbem intra Italiam* diceret. Præterea quod Præfecto iure Magistratus competebat, num *id sibi vendicasse* à Iurisconsulto prolatum fuisset?

Pertrahebantur criminum quæstiones ex Italię oppidis in Vrbem, atque Augusti æuo ad centumvirale iudicium deductæ. Id perspicuum est ex elegantissimo Phædro, qui suis fabulis historiolam interserit de oppidano quodam, qui filium interfecit, ratus se occidere vxoris adulterum: errore mox cognito in se quóque ferrum conuertit. subdit Phædrus:

Accusatores postularunt mulierem,
Romámque pertraxerunt ad centumviros.

nam & capitalia iudicia, non priuata solùm, apud centumviros actitari solita, testis est Quintilianus lib. 4. cap. 1. & Suetonius de claris Rhet. in Albutio Silo.

Præfecti Vrbi administrationem ad centesimum vsque lapidem protensam fluxisse tu credis ex Mecęnatis consilio, quod & ego autumo. itaque in eius verbis apud Dionem lib. 52. μέχρι πεντήκοντα, καὶ ἑξακοσίων σταδίων, rectè censes rescribendum ἑπτακοσίων: quùm præsertim paulò inferius ita loquatur: ὡσεὶ πεντήκοντα καὶ ἑπτακοσίους ἀπὸ τῆς πόλεως σταδίους. Nam si Suidę credimus,

ſeptem ſtadia ſemis conficiunt miliare. ἑπτὰ γὰρ (inquit) ἥμισυ σταδίων ποιοῦσι μίλιον. igitur è ſeptingentis quinquaginta ſtadijs centum millia paſſuum conſtabunt. quanquam Plinius li. 2. ca. 23. Columella li. 5. ca. 1. Frontinus de Agror. qualitatibus, Iſidorus Orig. lib. 15. alijq; aſſerant, octo ſtadia miliare efficere. Sed Græci fortean id exactius ſunt metiti, néque enim temerè Dio ſeptingenta quinquaginta expreſſiſſe credendus eſt, quùm octingenta faciliùs enunciare potuiſſet. Plutarchus etiam minus octo ſtadijs eſſe miliare teſtatur, cùm in Gracchis ſic loquitur: τὸ δὲ μίλιον ὀκτὼ σταδίων ὀλίγῳ ἀποδεῖ. nolim tamen in eâ Dionis emẽdatione quidquam tibi blandiaris, ſiquidem prior illam Lipſius commentus eſt in comment. ad lib. 14. Taciti. Dioni ſanè conſtare miliare ſeptem ſtadijs ſemis, illud quoq; euincit, quòd lib. 54. quùm ſcribit, edicto vetita fieri ſacra Ægyptia ἐν τῷ περιβόλῳ ἐντὸς ὀγδοήκοντα ἡμισταδίων; intra primum lapidem intelligit. Non ſunt ferendi qui ὄγδοον ἡμισταδίον ſignificare credunt quatuor ſtadia. Scripſiſſet enim Dio ἐντὸς ὀκτὼ ἡμισταδίων. Sed nec ita loqui par fuit, tunc enim plura nominabant ſemiſtadia, ſemiobolos, ſemitalenta, alia id genus, quùm dimidiũ earum rerum integris addendum eſſet, & impar numerus exprimendus. integros obolos, integra talenta ſignificare volentes, rarò geminabant ſemiobolos, ſemitalenta. Vtrúmque clarum fit ex loco Ariſtotelis, quem & Caſaubonus laudat ad Theophraſti characteres cap. περὶ ἀπονοίας, vbi de hilce loquendi notis nonnulla ob-

seruat. Ἐλίττεται δὲ (ait Philosophus) σμιλῶος χοᾶ, ἢ τρία ἡμίχοα. τὰ δ' εὐθηνοῦντα δύο χοᾶς, ἢ πένθ' ἡμίχοα, *eximunt ex alueari vnum choem, aut tres semichoas* (vnum videlicet choem cum dimidio) *vel bene vt agatur, duos choas, aut quinos semichoas*, siue duos choas semis. est verò hic locus ex lib. 9. hist. animal. cap. 40. sed nec minus frustra sunt, qui ὀγδόῳ ἡμισταδίῳ significari existimant, octo stadia cum dimidio. Etenim nihil aliud denotat is loquendi modus, nisi octo stadia dempto semistadio, vel septem stadia dimidio addito. Sicut apud Herodotum ἕβδομον ἡμιτάλαντον, sunt sex talenta semis: τρίτον ἡμίδραχμον apud Dinarchum, duæ Drachmæ semis: quæ itidem exempla affert Casaubonus. Videndus & Iulius Pollux.

Nunc geminus in te error est notandus: prior est, quia Diœcesin nominas Præfecti Vrbi. neque enim eius administrationem Diœcesis appellatione vnquam nominatam reperio apud veteres. erat quidem Diœcesis, quæ, vt ait Balsamo, plures sub se comprehenderet Prouincias. Sed videtur Præfecti Vrbi administratio angustior fuisse, quàm vt id nomen Constantianis temporibus mereretur, ita vsu iubente loquendi arbitro, ac tantum non tyranno. Diœceses potius dictæ sunt, quæ sub Præfectis Prętorio, eorúmque Vicarijs erant, vt ex Notitiâ vtriúsque imperij alijsq; scriptoribus apparet.

Alter error est, vbi diœcesim Vicarij Vrbis Romæ cum administratione Prętecti Vrbani confundis,

quùm multò amplior Vicarij diœceſis eſſet. Verum eſt quidem eaſdem regiones quas Præfectus moderabatur, ſub Vicario quoq; fuiſſe; attamen alias præterea habebat Vicarius, multoq; ampliores, quæ ad Præfectum nihil pertinebant. Res altius enucleanda eſt: quanquàm ego incognitam tantummodo tyronibus credebam, non tibi, qui veteranum in hiſtoriâ, iuriſque diſciplinâ te oſtentas. Scribit Zoſimus lib. 2. quatuor à Conſtantino Magno conſtitutos fuiſſe Præfectos Prætorio, in Oriente duos, totidem in Occidente. Ex Occidentalibus, qui Præfectus Prætorio Italiæ dicebatur, duas habebat Diœceſes, Italiam, & Africam. addita poſtmodum eſt tertia, Illyricum Occidentale. Huic quatuor erant Vicarij, Africæ vnus, alter Illyrici, duo reliqui Italiæ. Sed ne Vicariorum Italiæ confunderetur appellatio, alter, qui Romæ tribunal habebat, dictus eſt ob Vrbis præſtantiam, Vicarius Romæ, vel Vicarius Vrbis: alteri verò, qui Mediolani commorabatur, nomen remanſit Vicarij Italiæ. Diuiſæ fuêre inter hos Vicarios omnes Italiæ Prouinciæ, ſeu regiones, quemadmodum prius nominabantur, quæ poſt Conſtantinum quatuordecim numero fuere, ad ſimilitudinem fortaſſe quatuordecim Vrbis regionum. vtríque ſeptem ſunt tributæ, niſi quòd Vrbis Vicario regimen etiam datum fuit trium inſularum Italiæ adiacentium, quæ inter Italiæ regiones verè non computabantur.

Prouinciæ ſub Vicario Italiæ illæ erant: Venetia

eum Histriâ, Liguria, Alpes Cottiæ, Rhetia prima; Rhetia secunda, Æmilia, Flaminia cum Piceno annonario. Prouinciæ verò sub Vicario Vrbis Romæ hæc numerantur: Tuscia, & Vmbria, Picenum Suburbicarium, Valeria, Campania, Samnium, Apulia cum Calabriâ, Brutij; ac præterea tres insulæ, vt diximus, Sicilia, Corsica, Sardinia. Quæ omnia discere est ex libro Notitiæ. Iamq; planum est, quàm sis deceptus, dum existimas, eandem fuisse administrationem Præfecti Vrbis & Vicarij. Nam si Præfecti administratio centesimo ab Vrbe lapide circumquáque coarctabatur, iam non erant sub eius dispositione tres illæ insulæ, non Campania vniuersa, non Samnij pars ac Valeriæ, non Apulia, & Calabria, non Brutij. Prouinciæ sanè, quibus Vicarius Italiæ præerat, non alio censeri nomine poterant, quàm Prouinciæ seu regiones Italiæ. Inde ortum, vt pars illa speciali Italiæ appellatione insignita fuerit. Mediolanum etiam, quia sedes erat Vicarij Italiæ, sicut & antiquitus Proconsulis, quod ex Suetonio patet lib. de Clar. Rhet. in Albutio Silo, dictum interdum reperitur Metropolis Italiæ. Hæc apertiùs demonstraturi sumus cap. 3. secundæ dissertationis.

Regiones verò sub dispositione Vicarij Vrbis, quî appellari poterant, nisi *Vrbicariæ*, quo nomine necesse non fuit nuncupari tres insulas Siciliam, Corsicam, Sardiniam? nam ideo *Vrbicariæ regiones* sic dictæ sunt, vt eâ appellatione à ceteris Italicis distingui possent,

BIBLIOTECA ROMA

quæ Vicario Italiæ ſuberant. Illas verò inſulas non inter Italicas regiones, ſed inter Prouincias extra Italiam fuiſſe connumeratas, ignorare non potes. Non me tamen fugit, Italiæ inſulas eſſe aliquando appellatas. ac propterea non ineptè comprehendi poterant ſub finitimarum Vrbi Prouinciarum appellatione, quemadmodum factum videmus in veteri inſcriptione in ædibus Ducis ab Altaems, quam tu etiam laudas:

> LVCIO. AVR. AVIANIO SYMMACHO. V.C. PRÆFECTO. VRBI. CONSVLI. PROPRÆFECTIS PRÆTORIO. IN. VRBE. ROMA. FINITIMISQVE PROVINCIIS. &c.

veluti Sicilia *Suburbana inſula* dicta alicubi reperitur. Cæterùm in l. vnicâ Cod. Theod. ſi per obreptio. adminiſtrationes quatuor Vicariorum Præfecti Prætorio Italiæ (cui ea conſtitutio inſcripta eſt) recenſentur ijs verbis: *ſinceritas tua idipſum per omnem ITALIAM, tùm etiam per VRBICARIAS, AFRICANASQVE regiones, ac per omne ILLYRICVM prolatâ huius oraculi auctoritate firmabit.* at in l. 9. Cod. Th. de extraor. muner. Sicilia quóque ſpeciatim nominatur poſt Vrbicarias regiones, *exemplo Africæ debent fundi patrimoniales, & emphytheutici per Italiam conſtituti ab extraordinarijs muneribus excuſari: non autem* (ſic videtur legendum) *per Italiam tantùm, ſed etiam per Vrbicarias regiones, & Siciliam patrimonialium, & emphytheuticorum fundorum vires ſeruandas eſſe perſpe-*

ximus, nisi quis loco illius vocis *Siciliam* reponendum contendat *Illyricum*, vt hîc etiam quatuor Diœceses Vicariorum Præfecti Prætorio Italiæ exprimantur: quod tamen néque est necesse, néque ego de facili admiserim.

Præterea, quæ Prouinciæ nominantur ab Impp. Honorio, & Theodosio in l. 7. C. Theod. de indulg. debit. quùm aiunt: *Campaniæ, Tusciæ, Piceno, Samnio, Apuliæ, Calabriæ, sed & Brutijs, & Lucaniæ, ex omni præstationis modo, quem antiqua solemnitas detinebat, quatuor partes iubemus auferri*, &c. eædem (ni me deficit ratio) Vrbicariæ regiones ab ijsdem postea appellantur in l. 14. C. eod. *Quod de annonarijs functionibus per Vrbicarias regiones clementia nostra concessit, etiam in largitionalibus titulis, & emphyteuticis reipublicæ prædijs custodiri mandamus.* Quòd si hosce aliósque locos perpenderis, quibus Regiones Vrbicariæ nominantur, haud dubito, quin eò solidior visura tibi sit nostra sententia.

CAPVT TERTIVM.

VRBICARIÆ REGIONES NON ante Conſtantini tempora. Vrbanus, Vrbicus, Vrbicarius idem. Cur regiones Vrbicariæ, non Vrbanæ dicerentur. Suburbicariæ intra centeſimum lapidem. Tuſciam annonariã videri inter Vrbicarias. De Rationalibus, & Procuratoribus rei priuatæ loci, Notitiæ expenſi. Poſſeſſiones quæ.

IN tertio capite illorum tu errorem notas, qui Vrbicarias regiones à Suburbicarijs fecere diuerſas. at putas ne magis aberrare qui vltrà, quàm qui citra veritatis tramitem declinet? Illorum eſt quidem aliquâ in parte error: ſed tuus non minor, qui Vrbicarias cum Suburbicarijs prorſus confundis. Diximus, Vrbicarias regiones eas intelligi, quæ ſub diſpoſitione erant Vicarij Vrbici. Nam cum Italia ſpecialiter appellaretur, quæ pars Vicario Italiæ tributa fuit, quo tandem nomine cenſenda erat Vicarij Vrbis diœceſis, niſi *regionum Vrbicariarum*? cuius rei præter ea, quæ proximo capite demonſtrauimus, illud etiam non leue eſt argumentum, quòd appellatio hæc *Vrbicariarum regionum* nunquàm vſurpata reperitur ante Conſtantini Magni tempora, hoc eſt ante quatuor Præfectos Prætorio, eorúmque Vicarios,

rios constitutos. Habebant quidem & vetustiores Præfecti Prætorio suos Vicarios, seu qui eorũ vice cognoscebant, l. 1. §. 4. D. de legat. 3. at nullæ ijs assignatæ erant peculiares prouinciæ. Quin aio tibi (nisi fraudi mihi est memoria) nec possessiuum illud *Vrbicarium* ante ipsum Constantinianum æuum in vsu fuisse. Quæ ad Vrbem, vrbanósve Magistratus spectabant, *Vrbana* dicebantur, & *Vrbica*; *Vrbicaria* nunquàm, tametsi eadem sit huic voci origo, eadem vis, quæ superioribus. Ideo ex Vrbanitate, quæ minus aptabatur, tam *Vrbicarium* deriuarunt quàm *Vrbicum*, & *Vrbanum*. Iuuenalis Satirâ 13.

Mimum agit ille,
Vrbani qualem fugitiuus scurra Catulli.

Idem Satirâ 6.

Vrbicus exodio risum mouet Atellanæ.

Fulgentius lib. 2. mytholog. *Beatinius augur dicere solitus erat, diuersarum Vrbium honores somnialiter peragi Vrbicario mimologo.* Cur igitur id vocabuli commenti sunt? quia quùm nomen tribuendum esset regionibus, quæ Vicario Vrbis subijciebantur, insueto, nouóque opus fuit vocabulo, ne si aut *Vrbicæ*, aut *Vrbanæ regiones* dictæ fuissent, deceptæ aures vsitatis appellationibus, significari putassent quatuordecim ipsâ in Vrbe regiones, nam quæ cis Rubiconem erant, non prouinciæ, sed *regiones* dici consueuerant. quin vsq; adeò Italiæ diu ignotum Prouinciarum nomen, vt *prouincijs* opponeretur *Italia*: atq; aliud *ius Itali-*

cum eſſet, aliud *ius Prouinciale.*

Ex *Vrbicariarum* nomine appellatio quóque manauit *Suburbicariarum Regionum*, quæ propius Vrbem ſitæ erant, ac tantùm-non ſub ipſâ Vrbe. Eæ & *Suburbanæ* dici poterant, veluti dicuntur in l. 3. C. Theod. de accuſat. neq; enim erroris ſuſpicio oriri hinc poterat, quemadmodum ex Vrbicarijs, ſi quis eas *Vrbanas* aut *Vrbicas* nuncupaſſet. Erant Suburbicariæ intra centeſimum ab Vrbe lapidem, quod apertè elicitur ex d. l. 13. qua iubentur iudices ex ijs regionibus referre de cauſis Senatorum capitalibus ad Præfecturam Sedis Vrbanæ; è ceteris ad Præfectum Prętorio. nimirum quia propria Vrbani Præfecti adminiſtratio centeſimo lapide comprehendebatur, vti diximus. Nam quemadmodum eandem (vt docuimus) ſignificationem habent *Vrbanus*, *Vrbicus*, & *Vrbicarius*: ita idem eſſe fatendum eſt *Suburbanum*, *Suburbicum*, & *Suburbicarium*. Qua propter haud verebor aſſerere, Suburbicarias regiones, vbi de adminiſtratione Præfecti Vrbi agitur, eas eſſe, quæ centeſimo lapide concluderentur. At non ſemper vbi regio aliqua Suburbicaria nominatur, eam coarctare neceſſe eſt intra limites centeſimi miliarij. Itaq; affirmare non dubitem, Piceni Suburbicarij, Tuſciæ item Suburbicariæ partem vltra eos fines fuiſſe protenſam. Id enim nomen duabus ijs regionibus inditum, vt quùm propius ipſam Vrbem eſſent, ab Annonarijs Piceno, & Tuſcia diſtinguerentur. Campania, & Valeria cùm ex parte inter

Suburbicarias essent, vt cap. quinto ostendemus, nunquam tamen eam appellationem speciatim sortitæ sunt: nulla enim erat Campania Annonaria, nulla Valeria, à quibus discerni Suburbicarias opus esset. Hinc apparet, qua ratione differant Suburbicariæ ab Vrbicarijs. Interdum enim eædem erant, diuersæ interdum. Siquidem Suburbicariæ continebantur Vrbicarijs, vt & ipsæ dici possent Vrbicariæ: at non contrà Vrbicariæ omnes erant Suburbicariæ; veluti omnis quidem arrogatio adoptio est, at non omnis adoptio dicenda est arrogatio. Sic Præsidis nomen (vt ait Macer) generale est, quo omnes Prouinciarum Rectores significantur, ipsi etiam Proconsules, non tamen fas est Præsides omnes Proconsulum nomine appellare. Sub Præfecto Vrbis Suburbicariæ tantùm regiones sunt: sub Vicarijs & Suburbicariæ ipsæ, & præterea Vrbicariæ, quæ vtique vltra centesimum lapidem excurrebant.

Nullo iam negotio, Anonyme, argumenta diluentur, quæ ad tuam sententiam roborandam obieceras. Primùm enim, quòd Tuscia Suburbicaria nominetur, *Vrbicaria* à Caio, & Theodosio inter Auctores limitum, haud mirum est, quùm inter Vrbicarias (vt diximus) numerarentur Suburbicariæ, quas generis quóque nomine appellare licebat. Verùm si quis autumet mendum subesse, rescribendumq; apud illos auctores, *Tusciam Suburbicariam*, eius ego sententiam pronis auribus excipiam. Planum fecit doctissimus Rigal-

tius, quot, quantíſque errati ſcaterent ij libri de Agrorum conditionibus, & limitibus, quæ fortaſſe nec dum ſublata ſunt omnia. Diu eſt, quùm ſuſpicari mihi contingebat, Tuſciam Annonariam, quam appellat Symmachus *Hetrurias longinquas* lib. 10. epiſt. 47. Regionibus Vrbicarijs accenſendam eſſe. quo caſu certiſſima foret emendatio, quam nuper ingeſſimus. quandoquidem in Notitia Imperij Tuſcia ſimpliciter, nulláque diſtinctione appoſitâ Vicario Vrbis adſcribitur: vt vniuerſa Tuſcia tàm ſcilicet annonaria, quàm Suburbicaria denotari videatur. Notitiæ verba ita habent: *ſub diſpoſitione viri ſpectabilis Vicarij Vrbis Romæ. Prouinciæ infraſcriptæ. Conſulares Campaniæ, Tuſciæ, & Vmbriæ: Piceni Suburbicarij: Siciliæ*, &c. & vbi viginti duo Conſulares recenſentur: *Per Italias octo. Venetiæ, & Hiſtriæ: Æmiliæ: Liguriæ: Flaminiæ, & Piceni annonarij: Tuſciæ, & Vmbriæ: Piceni Suburbicarij: Campaniæ: Siciliæ.* Quòd ſi vniuerſæ Tuſciæ cum Vmbriâ vnus erat Conſularis ſub diſpoſitione Vicarij Vrbis, dubitationi locus non remanet, quin ea regio appellari *Vrbicaria* poſſet: quæ in annonariam, & Suburbicariam diuidebatur. atq; hoc pacto reſtituendus omnino locus ille foret apud Auctores limitum. Noſtra verò ſuſpicio eò probabilior apparet, quòd in catalogo Epiſcoporum, qui Synodo Sardicenſi ſubſcripſerunt, Italiæ Vrbes recenſentur Rauenna, Mediolanum, Brixia, Verona, Aquileia: Luca vero non Italiæ, ſed Tuſciæ Vrbs nuncupatur. Nec te fugit eſſe Lucã in eâ Tuſciæ parte,

quę annonaria dicebatur. Itaq; vniuersa Tuscia Vrbicaria erat. eius duæ partes, altera (vt diximus) Suburbicaria, altera annonaria appellabatur. Negotium tamen faceſſit inſcriptio Nouellæ Maioriani de adulterijs, ſic concepta: *Rogatiano Conſulari Tuſciæ Suburbicariæ.* ergo Tuſciæ Suburbicariæ ſuus erat Conſularis. Nolim ſuſpicari vocem illam *Suburbicariæ* ab aliquo additam: crediderim potius, Maioriani tempore datum vtriq; Tuſciæ ſuum Conſularem: crebras enim in Italiæ regionibus, earúmque Magiſtratibus mutationes obſeruare licet.

Ad ſecundum argumentum quod attinet, perſpicere potes, quæ ſupra diximus de l. 14. Cod. Theod. de indulg. debit. cuius verbis innui magis arbitramur legem 7. eodem tit. quàm duodecimam, vt tu reris, quanquam ad d. l. 14. referri, & hæc ipſa videatur, quà ſexto poſt anno ijdem Impp. Honorius & Theodoſius maiore debitorum indulgentiâ donarunt Campaniam Vrbicariam, Tuſciam & Picenum Suburbicarias regiones. quæ omnes (vt prius docuimus) appellari Vrbicariæ poſſunt.

Veriſſimum eſt, quod aſſeris in tertio argumento Italiam arctâ ſignificatione acceptam à Regionibus Vrbicarijs ſeparari; quùm illam ſub Vicario Italię, haſce ſub Vicario Vrbis conſtitutas fuiſſe conſtet; quæ tamen cauſa latuiſſe te videtur. eam nos ſupra patefecimus exl. vn. Cod. Theod. ſi per obrept. & l. 9. Cod. Theod. de extraor. muner. De Suburbicarijs idem ſta-

tui nequit, vt ſcilicet reliquæ omnes ijs exceptis Italię accederent anguſtiùs acceptæ. id quod ex ijs, quæ diximus, ſatis liquet. ſequenti verò capite verba explicabimus l. 9. Cod. Theo. de Annonâ, & tribut. quæ obſtare videntur.

Quartum argumentum nititur ijs Notitiæ Imperij verbis: *Rationalis rei priuatæ per Vrbem Romam, & Suburbicarias regiones cum parte Fauſtinæ. Procurator rei priuatæ per Vrbem Romam. Procurator rei priuatæ per Vrbicarias regiones rerum Iuliani.* Hiſce locis non opponi inter ſe regiones ais, ſed Magiſtratus in ijs conſtitutos. Contrarium mihi videtur: nam ſi res ipſæ opponuntur (quemadmodum & tu fateris) res nimirum Fauſtinæ, & res Iuliani: ſi officia, quibus earum cura incumbebat, cur non & regiones, in quibus vtræq; illæ res ſiue ſubſtantiæ diuerſis locis ſitæ erant? Rebus Fauſtinæ datus eſt Rationalis: rebus Iuliani Procurator. illas Suburbicariæ, haſce Vrbicariæ regiones comprehendebant. Vides etiam duos conſtitutos fuiſſe Procuratores: per Vrbem Romã alterum, alterũ per Vrbicarias regiones. at vnicus Rationalis erat rei priuatæ per Vrbem Romam, regionéſque Suburbicarias. igitur non ſemper diuerſi Magiſtratus eâdem in prouinciâ conſtituti reperiuntur. Quin docet nos eadem Imperij Notitia, diuerſos Procuratores fuiſſe in ipſis regionibus Vrbicarijs, alterum rerum Iuliani, alterum rei priuatæ per Apuliam, & Calabriam ſiue Saltus Carminianenſes. Duos etiam habebat Africa Rationales. dicebatur al-

ter simplici appellatione, *Rationalis rei priuatæ per Africam*; alter *Rationalis rei priuatæ fundorum domus diuinæ per Africam*, & nullum apparet fuisse in Africâ Procuratorem: nam qui notatur *Procurator rei priuatæ per Mauritaniam Sitifensem*, non is in Africâ erat angustè sumptâ, quæ & Zeugitana, & Carthaginiensis Prouincia nuncupabatur. neq; enim semper vbi Rationales erant, erant & Procuratores, aut contrà. Recensitos cernimus in eâdem Notitiâ Rationales, per Hispanias, per Gallias, per quínque Prouincias, per Britannias: nullum verò hisce in locis Procuratorem. Sic datos legimus quibusdam locis Procuratores rerum priuatarum, non item Rationales. Quapropter nullarum esse virium cõstat tuum argumentum. quùm alioqui si vera essent, quæ tu explicabas, non tamen nostræ officerent sententiæ, qua non semel diximus, Suburbicarias regiones Vrbicariarum quóque nomine censeri.

Ad regiones annonarias transis. ac sanè perplacet, quod doces, addictas fuisse præstandis alimentis Comitatui Imp. & exercitibus: néque enim tuam tibi gloriã inuideo. Quòd verò eas statuis in Italiâ sic specialiter nuncupatâ, non video, cur tibi id tutò sit cõcedendum. nam & si Aurelius Victor in Maximiano Herculeo *parti Italiæ* ea tributa inuecta scribit, non tamen constat, quæ pars Italiæ isthæc fuerit. Innuere forsan Victor voluit, non omnes Italiæ fundos, quanquàm in cunctis Italiæ regionibus sitos ei præstationi fuisse obnoxios. videntur enim huic rei addictæ *Possessiones* per

vniuersam Italiam, hoc est agri latè patentes, quos initio non mancipatione, sed quisque vt potuit occupauit, possedítque veluti definiunt Auctores limitum. Atque illud, est quòd Constantinus voluit in l. 6. Cod. Theod. de Ann. & trib. quùm ait: *Vinum, quod ad Cellarij vsum ministrari solet, cuncti ITALIÆ POSSORES iuxta statutum Constantis fratris mei comparent, &c.* Quocirca Italia hoc loco communi ac notiori significatu accipitur. Verùm tota hæc tractatio diligentiorem indagationem desiderare videtur.

CAPVT QVARTVM.

VRBE ET ITALIA INTERDICERE.

Italia duplici, Africa triplici notione accepta. Illustratæ leges nonnullæ Codicis Theodosiani.

QVOD docere pergis Anonyme fuisse regiones Suburbicarias propè ipsam Vrbem, apud nos in confesso est. At tu in eo hallucinaris quòd reliquas omnes Italicas Prouincias Suburbicarijs exceptis constituisse putas Italiam angustâ significatione sumptam. Verius enim est, regiones omnes Vicario Vrbis subiectas, nempe Campaniam, Brutios, Calabriam, alias cum ipsis Suburbicarijs separatas fuisse ab Italiâ restrictiùs acceptâ, quæ diœcesim con-

constituebat Vicarij Italiæ. Ideo in Chronicis Idatianis legere est, *Ambrosius in Italiâ Mediolani Episcopus, &c.* & alio loco: *Paulinus nobilissimus, & eloquentissimus, dudum conuersione ad Deum nobilior factus, vir Apostolicus, Nolæ Campaniæ Episcopus.* Nolam enim non Italiæ, vt Mediolanum, sed Campaniæ Vrbem nominauit, quod Campaniæ regio inter Vrbicarias esset, atq; adeo extra Italiam angustiùs nuncupatam. Quòd si Campania, quæ cum Suburbicarijs (vt tu doces) non cõnumerabatur, nec Italiæ adscripta erat, quemadmodum nec aliæ, quæ præter Suburbicarias Vicario Vrbis suberant, vt clariùs quoq; euincemus cap. 3. secundæ diatribæ; num tertia constituenda est diœcesis, in quam regiones illas conijcias? Enimverò nugas meras agimus: & tu dum non animaduertisti arctam illam Italiæ appellationem ante Constantinum vsurpatam non fuisse, in apertos errores prolapsus es, asserens, eâ significatione accipi apud Suetonium Claud. cap. 23. Neron. cap. 39. Vitell. cap. 14. Gellium lib. 15. cap. 11. Tertullianum lib. de Pudicit. Valerium Max. lib. 1. cap. 3. Vlpianum l. 1. D. de Effractor. nec falsò minus credis hisce locis appellatione Vrbis Suburbicarias quóque regiones contineri. Siquidem solemne fuisse apparet, vt quùm quis Italiâ vniuersâ interdicebatur, Roma ipsa ob quandam dignitatis prærogatiuâ specialiter interdictus enunciaretur. Ideo [Egnatius Bæticæ Proconsul Mario Euaristo Vrbe, Italiâ, Prouinciâ Bæticâ in quinquennium interdixit, vt tradit Vlpianus lib. 7. de Offic.

Proconsul. apud Collator. Leg. Mosaic. satis enim fuisse videbatur Hispanico Proconsuli, Italiam nominare, vt & Vrbe Egnatius abstineret; sed à recepto more noluit recedere. quod hodieq; pluribus locis in vsu est: nam quùmquis à ditione aliquâ, vel prouincia submouetur, vrbs ipsa Prouinciæ caput speciatim exprimitur.

Statuendum est igitur, duplici ratione Italiam accipi: modo latiùs, quæ Prouincias omnes complectitur, tàm Vicario Vrbis, quàm Vicario Italiæ subiectas: modò angustiùs partem illam designans, quæ Italiæ Vicario adscripta erat. Ex quo factum est, vt quùm de vniuersâ Italiâ verba haberentur, respectu eius (quam diximus) diuisionis inter duos Vicarios, non *Italiam, sed Italias* plurium numero interdum enunciarent. Notitia Imperij: *Consulares viginti duo. per Italias octo, &c.* Firmandum ergo remanet, non à Præfecti Vrbani administratione, sed à Vicarij Vrbis diœcesi separari Italiam angustiùs acceptam. Tu tamen, qui nondum veritati acquiescere nosti, aduocas ad tuam sententiam communiendam l. 9. Cod. Theod. de ann. & trib. in qua hæc leguntur: *Tabulariorum fraudes se resecasse per Suburbicarias regiones vir clarissimus Anatolius Consularis missa relatione testatus est.* & post alia: *quod iubemus, vt etiam per omnes Italiæ regiones par ratio seruetur.* Laudas insuper l. 2. Cod. Theo de in integr. restit. cuius sunt verba: *Placuit ad interponendam contestationem in Vrbe (Romá) vsque ad anni tricesimi extremum diem spatia prorogari, & intra centesimum Vrbis Romæ miliarium, si tamen ab his iu-*

dicibus, qui Romæ sunt, fuerit iudicandum. Per omnem verò Italiam vsque ad finem vicesimi & noni, &c. Videtur tibi in hisce constitutionibus opponi Italia regionibus Suburbicarijs: non sic est, mi homo. Nam illud *per omnem Italiam, & per omnes Italiæ regiones,* idem est, ac si dictum esset, *per ceteras Italiæ partes,* vt Italia inibi accipiatur generali, atq; vsitatâ prius significatione. Amabāt enim ita loqui eo tempore, vti videre quoq; est in l. 27. Cod. Theod. de Decurion. *Rarum Carthaginis splendidissimæ Senatum & exiguos admodum Curiales residere conquestus es, dùm vniuersi indebitæ dignitatis insulas fœdâ familiaris rei vexatione mercantur. Igitur istiusmodi viri demptis honoribus imaginarijs huiusmodi illi erunt* (quid sibi velint tria hæc verba, non sat scio, ac fortasse inducenda sunt) *quos fuerant consequuti, ciuicis muneribus subiugentur, quod quidem per omnem Africam solertissimè seruare oportet.* Neq; enim separari vllo pacto ab Africâ potest Carthago, non etiā si Africam angustissimâ significatione accipias; quippè & eius regionis Carthago caput erat. Triplici (vt nosti) notione Africa accipiebatur: modò latissimè pro tertia Orbis terrarum parte: modò angustiùs, quæ sex illas Prouincias comprehenderet, Zeugitanam, quæ & Prouincialis, & Carthaginiensis, Numidiam, Byzacium, Tripolitanam, Mauritanias Sitifensem, & Cæsariensem. Interdum autem ipsa Zeugitana Prouincia (inquit Carthag.) Africa propriè appellabatur, quod Plinius præ ceteris indicat lib. 5. cap. 4.

CAPVT QVINTVM.

LATIVM INTER NVLLAS REGIONES connumerabatur. Valeria regio. Itinerarium Antonini. Frontinus emendatus. Samnis regio. Spoletinus Episcopus nequaquam Metropolita. De numero regionum Suburbicariarum. Spoletium in Vmbriâ in Piceno. Eadem Tusciæ pars. Campaniæ regio. Frontinus iterum emaculatus. Item Paulus Diaconus. Firmata vetus lectio in Tacito. De Ponte Campano.

LABAT iam, Anonyme, coniectura tua cùm de nomine, tùm de numero regionum Suburbicariarum. De duarum regionum appellatione nulla est dubitatio, de Tusciâ nimirum & Piceno, quarum est mentio in l. 12. Cod. Theod. de indulg. debit. in inscriptione Nouellæ Maioriani de adult. in Notitiâ Imperij, & apud auctores de limitibus, si nostra admittatur emendatio. At quòd tu Latium vetus, nouumq; Suburbicarias regiones nominas, non video, quî viris eruditis satis omnino possis facere. Ipsâ in re non abes (opinor) à vero. erat enim Latium propè Vrbem. at Constantini sæculo, quo proximę Vrbi regiones nuncupari Suburbicariæ cœperunt, obsoleuisse Latij nomen videtur. itaq; nulla eius mentio est inter Prouin-

cias, quæ in Notitiâ Imperij recensentur. Verior fortassè coniectura erit, si Valeriam magnâ ex parte, ex aliquâ etiam Samnium inter Suburbicarias regiones connumerabimus: eas enim statuit Notitia Imperij inter Prouincias à Præsidibus rectas, quæ Vicario Vrbis suberant.

Tu coniecturali tuo lituo regiones in aëre designaras, quùm Valeriam extra centesimum statuisti, atque ita curasti delineandam in tuâ tabulâ. Aliud est, quod nos docet Paulus Diaconus lib. 2. Hist. Langobard. *Porrò* (inquit) *tertiadecima Prouincia Valeria, cui est Nursia annexa, inter Vmbriam, & Campaniam, Picenumque consistit: quæ ab oriente Samnitum regionem attingit. Huius pars occidua, quæ ab Vrbe Româ initium capit, olim ab Hetruscorum populo Hetruria dicta est. Hæc habet vrbes Tiburim, Reate, Furcone, & Amiternum, regionemque Marsorum, & eorum lacum, qui Fucinus appellatur.* Hac in regione agnoscere potes loca nonnulla, quæ partim Latio, partim Piceno Suburbicario assignaueras. Amiternum nescio cur in Marrucinos, Theate inter & Angulum ad mare superum coniecisti, quùm inter omnes conueniat, non longè à Reate, atq; Interâna fuisse, nempè in Sabinis, vt ex Dionysio aliisq; colligitur, nec procul ab eo loco, vbi ciuitas Aquilæ postmodum ædificata est. Rudera hodiéque visuntur, & præterlabitur Aternus. ac reor sanè ab amne Aterno fluxisse appellationem Amiterni.

Regioni Valeriæ constat nomen fuisse inditum à

viâ cognomine, de quâ ita Strabo. ἡ Οὐαλερία δ', ἄρχεται μὲν ἀπὸ Τιβέρεω, ἄγει δ', ὅπῃ Μαρσοὺς, καὶ Κορφίνιον τὴν τῶν Πελιγνῶν μητρόπολιν. εἰσὶ δ' ἐν αὐτῇ Λατῖναι πόλεις Οὐαλερία τε καὶ Καρσίολοι, καὶ Ἄλβα. πλησίον δὲ καὶ πόλις Κύκυλον. Ἐν ὄψει δ' εἰσὶ τοῖς ἐν Ῥώμῃ Τίβουρ τε, καὶ Πραίνεστος, καὶ Τοῦσκλον, *Valeria à Tibure incipit, ducitque in Marsos, & Corfinium Pelignorum Metropolim. sunt in eâ Vrbes Latinæ Valeria, Carseoli, & Alba, & propè vrbem Cuculum. In conspectu Romæ sunt Tibur, Præneste, & Tusculum.* Antoninus quóque in Itinerario vrbes hasce enumerat in viâ Valeriâ, per quas ab Vrbe iter est Hadriam vsque, *Tibur, Carseolos, Albam Fucentiam, Cersinniam, Corfinium Interbromium, Theate Marrucinum, Hadriam.* Antoninum nominaui eius Itinerarij auctorem, quamuis tu confidenter, vt soles, id Æthico tribuas. Non sum nescius, à Flodoardo locum huius Itinerarij ex Æthici cosmographiâ adduci, idq; monitum fuit in editione Basileensi anno 1575. verùm decipi Flodoardus potuit, quòd eius in codice additũ esset Æthici cosmographię id Itinerarium. quæ codicum conficiendorum ratio mirum quantum confusionis pepererit in auctorum nominibus. Plurium certè testimonio extare liquet in manuscriptis omnibus Antonij siue Antonini Augusti, vel Augustalis nomen. Nescio an in Valeriæ nomine mendosus sit locus in commentario Claudij Cæsaris, apud Frontinum de Colonijs: *lex agris limitandis metiundis partis Tusciæ prius, & Campaniæ, Apuliæ, & Variæ regionis.* videtur enim rescribendum, &

Valeriæ regionis. Nisi Variam regionem intelligit, quæ Bario adiacet: nam & alicubi Barij nomen in Varium, & Variam degenerauit.

De regione Samnij hæc Paulus Diaconus: *Quarta decima Samnium, inter Campaniam, & mare Hadriaticum, Apuliámque à Piscaria incipiens habetur. in hac sunt Vrbes Theate, Aufidena, Hisernium, & antiquitate consumpta Samnium, à quo tota Prouincia nominatur, & ipsa harum Prouinciarum caput ditissima Beneuentus.* Ptolomeus quoq; Beneuentum Samnio tribuit; Tu Campaniæ. at Venafrum, quod tu das Samnio, apud Ptolomeū inter mediterraneas Campaniæ ciuitates recensetur. Acro etiam, seu quisquis est vetus Horatij Scholiastes, Campaniæ adscribit. Planum est, è Strabone, alijsq; populos Samnitium fuisse Hirpinos, Erentanos, Marrucinos, Vestinos, Pelignos, Marsos. Horum nonnulli loca occupabant intra centesimum ab Vrbe miliarium, atque adeò in ipso Latio. Antiquato (vt dicimus) Latij nomine pars Samnio cessisse videtur, pars Valeriæ multò maior, pars etiam Campaniæ, vt infra demonstrabitur.

Illud interim notare subit, imbecillum esse tuæ assertionis fundamentum, dum ais, Spoletium Metropolim fuisse Piceni Suburbicarij, motus subscriptione l. 5. Cod. Theod. de med. & profess. in qua est. Acc. IV. KAL. AVG. SPOLETIO. Cui inscripta sit ea Iuliani constitutio, non apparet. Generalem fuisse credo, eiúsque exempla ad Magistratus per Prouincias missa, vt publicè proponerentur. Potuit id exemplum, quod

in Codices poſtea Theodoſij, & Iuſtiniani relatum eſt, ad Conſularis manus peruenisſe, dum Spoletij fortè eſſet. Conſtat enim moris fuisſe Magiſtratibus, vt Prouincias ſibi commiſſas obirent, æſtiuis præſertim menſibus. Quod ex Cicerone in C. Verrem, Strabone, alijſque patet, docuítque Berterius. Quamobrem haudquaquam ſtatuendum ex illâ conſtitutione eſt, vt tu facis, Conſularis tribunal fuisſe Spoletij tanquàm in Metropoli. Vicarius Africæ dubio procul Carthagine degebat, qua in Vrbe accepisſe illum apparet legem 13. Cod. Theod. de Annonâ, & tribut. At l. 26. Cod. Theod. de decur. ad Vicarium itidem Africæ data, Thamugadi accepta fuit: lex verò 3. Cod. Theod. de fide, & iure haſtæ, accepta legitur Hadrumeti. Noſti Præfectum Vrbi non alibi, quàm Romæ ſedem habuisſe, an non & Vrbe interdum exire vſu illi veniebat? non etiam quùm alibi quàm Romæ eſſet, reſcriptum aliquod Imperatoris peruenire ad eum poterat? id contigisſe olim apparet, dùm C. Ceionius Rufus Voluſianus Vrbi Præfectus in Campaniam neſcio qua de cauſa ſe contuliſſet. Siquidem Venafri accepit legem 22. Cod. Theod. de Curſu publ. ſic enim reponendum arbitror in ſubſcriptione, pro *Venabri.*

Sed fuerit ſanè Spoletium Metropolis, non tamen certum eſt, in Piceno Suburbicario fuisſe, vt infra dicemus. Sed neque habuit vnquam Eccleſiaſticum Metropolitam, quemadmodum nullis in Ciuitatibus regionum Suburbicariarum Metropolitæ eo tempore erant.

erant. Haud enim ciuiles semper formas amplectebatur Ecclesia, vt sequenti dissertatione docebitur. Porrò cassâ nuce inanior tua est diuinatio de Spoletino Episcopo, quem Metropolitanum fuisse autumas, quia in dissidio Pontificatus Romani inter Bonifacium, & Eulalium, electus ab Imp. Honorio fuit ad Sacra Paschatis in Vrbe celebranda. Constat enim ex ipso Honorij rescripto, non aliam ob causam demandatum id munus Achilleo Episcopo Spoletino, nisi quia, quum ceteri Episcopi huic illive parti fauerent, ipse Achilleus neutri addictus erat. Verba rescripti ea sunt: *At quoniam vicinitas Sanctorum dierum Episcopi præsentiam postularet, nec in Vrbe sacratissimâ fas est Paschalium præsertim dies sine Sacerdote celebrare: idcirco Symmache parens carissime atque amantissime, illustris magnificentia tua Achilleum nos elegisse cognoscat, quem à fauore partium constat esse alienum, qui mysteria sacræ obseruationis impleret.*

De numero regionum Suburbicariarum, non video quid certi definiri possit. Tu quatuor tantùm fuisse existimas ex l. 1. C. Theod. de Calcis coctor. qua iubet Imp. ex QVATVOR REGIONIBVS trecentos boues ad calcem vehendam præstari. Probo ac laudo, quæ doces de Terracinensibus, eorúmque monte saxa ministrante calci conficiendæ apta: aio etiam non absurdè à te conijci quatuor illas regiones, quarum mentio est in prædictâ lege, Suburbicarias fuisse. Sed non est necessariò colligendum, intra eum numerum stetisse. Nunquid enim suspicioni locus non restat, ex plu-

ribus Suburbicarijs regionibus quatuor tantùm ei præstationi addictas? Ex ijs, quæ docuimus, numerare inter Suburbicarias regiones potes cùm Valeriam, & Samnij partem, sed & Campaniæ, vt infra demonstrabitur, tùm Picenum Suburbicarium, Tusciamq; Suburbicariam, nec non & Vmbriam, ac si quæ præterea regio centesimo ab Vrbe lapide saltem ex parte comprehenderetur. Tu verò cur Vmbriam silentio præterijsti? an quia ei regioni Tusciæq; vnus idémque præerat Consularis? id ferendum. At cur Spoletium non Vmbriæ potius adscriptum à te est, quàm Piceno Suburbicario, cui alius Consularis Præfectus erat? nam quod à Balbo in corpore de limitibus Spoletinus ager nomitim in Piceno statuitur, is (ni fallor) ita loquutus est, quia Vmbria etsi pars erat Tusciæ, fluuio tamen Tiberi discreta, in Piceno sita censebatur. Indicio sunt verba Scæuolæ in l. 41. §. Codicillis de lega. 3. quæ sic habet: *idem postea petijt ab hæredibus suis, vt regionem Vmbriæ Tusciæ in Piceno cohæredes vxori suæ restituerent cum omnibus, quæ ibi erunt, & mancipijs rusticis, vel Vrbanis, & actoribus, exceptis manumissis; quæsitum est, quùm Eros & Stichus serui in diem vitæ testatoris in Vmbria in Piceno actum administrauerint, &c.* Ita vulgati codices, nam Pandectæ Florentini videntur mendosi, defectu particulæ IN. Nescio an & huc spectet antiqua inscriptio Ariminensis. M. ÆLIO. AVRELIO. THEONI. AVG. IVRIDICO. DE. INFINITO. PER. FLAM. ET

VMBRIAM. PICENVM. &c. Itáque Picenum generaliter acceptum complectebatur Picenum annonarium, Picenum Suburbicarium, & Vmbriam. Ac sanè quùm hæc Prouincia alia omnino esset à Piceno Suburbicario, non poterat eius Metropolis esse Spoletium (quemadmodum tu putabas) sed Vmbriæ potius, aut Vmbriæ Tusciæ, vt loquitur Scæuola, quod firmatur notissimâ illa inscriptione sub æreâ statuâ à Spoletinis positâ

L. TVRCIO. APRONIANO. V. C.
FILIO. L. TVRCII. APRONIANI. V. C.
PRÆFECTI VRBIS. NEPOTI
L. TVRCII. SECVNDI. C. V. CONSULIS
QVÆSTORI. PRÆTORI. QVINDECEM
VIRO. SACRIS. FACIVNDIS. CORRECTORI. TVSCIÆ. ET. VMBRIÆ
VIRTVTE. PRÆSTANTI. STATVAM
EX. ÆRE. ORDO. SPOLETINORVM
AD. MEMORIAM. PERPETVI. NOMINIS
CONLOCAVIT.

Quod diximus, fuisse Vmbriam Tusciæ partem, testatur id Seruius ad XII. Æn. *Viuidus Vmber: acerrimus Tuscus. Nam Vmbria pars Tusciæ est.* & ad lib. 2. Georg. *Clitumnus autem fluuius est in Meuania, quæ pars* (lego *Vrbs*) *est Vmbriæ partis Tusciæ.*

Pretium est operæ de Campaniâ aliquid inquirere, quam tu secludis omnino à centesimo lapide. Audi

quos illi fines præſcribat Paulus Varnefridus eodem lib. 2. quo Italiæ Prouincias enumerat : *Septima quóque Prouincia Campania ab Vrbe Roma vſq; ad Siler Lucaniæ fluuium perducitur, in qua opulentiſſimæ Vrbes Capua, Neapolis, & Salernus conſtitutæ ſunt.* Néque exiſtimes ad ſua tempora reſpexiſſe Diaconum: nam & Scholiaſtes Iuuenalis ad illud Sat. 3. *Et Pomptina palus & Gallinaria Pinus: loca ſunt* (inquit) *abundantia latronibus in Campania.* Non ignoras verò paludem Pomptinam à Plinio locari in Latio Seruius ad 7. Æn. de Terracinâ, & locis finitimis ita loquitur: *Circa hunc tractum Campaniæ celebratur puer Iuppiter, qui Anxurus dicebatur, quaſi ἄνθ ξυρῦ, id eſt ſine nouacula, quia barbam nunquàm raſiſſet, & Juno virgo, quæ Feronia dicebatur. Eſt autem fons in Campania iuxta Terracinam, quæ aliquando Anxur eſt dicta.* Colligitur etiam ex Symmachi epiſtolâ 53. lib. 10. pertinuiſſe Terracinam ad curam Conſularis Campaniç, à quo propterea appellationes deferebantur aliquoties ad Præfectum Vrbi. Atque hæc quidem poſt Conſtantinianam Prouinciarum diuiſionem. Sed & quùm Latij nomen adhuc vigeret, pars illa, quæ ad mare vergebat, in Campaniæ appellationem venire cœperat, ex quo nimirum Auguſtus tractum illum, quantus eſt, in vnam redegerat regionem. Plinius lib. 3. cap. 5. Vbi de primâ regione loquitur: *Regio ea à Tiberi prima Italiæ ſeruatur ex deſcriptione Auguſti. Intus Coloniæ Capua ab campo dicta, Aquinum, Sueſſa, Venafrum, Sora, Theanum Sedicinum cognomine, Nola.*

Oppida Abellinum, Aricia, Alba longa, Acerrani, Alifani, Atinates, Aletrinates, & quæ sequuntur. Inter hæc citerioris Campaniæ oppida & Tibur, & Prænestе Plinius recensет, quæ tamen ex verbis Strabonis, Valeriæ potius sunt adscribenda, si tamen ijs temporibus regio quóque Valeria nominabatur, non via tantùm. Coniungebantur non longè ab Vrbe duæ illæ regiones, at recedebant postmodum, locum Samnio dantes, cuius etiam pars quædam citra centesimum miliarium procurrisse videtur. Vbi connexæ erant, nomina quóque confundebant, vt pars Valeriæ Campania à quibusdam appellaretur. Suspicionem inijcit locus hic Frontini ex libro de Colonijs; si mendo, quo laborat, liberetur: *Pars verò camporum, & siluæ regionis Campaniæ vel totius Aureliæ ante à D. Augusto veteranis pro parte data fuit.* Pro ijs verbis, *vel totius Aureliæ*, reponendum videtur, *vel potius Valeriæ.* Facilis enim fuit lapsus *Valeriæ* in *Aureliam* transpositu tantummodo litterarum. Nam alioqui quæ regio fuit Aurelia? Viam fuisse Aureliam non ignoro, de qua Tullius in Philipp. *Tres viæ sunt ad Mutinam, à supero mari Flaminia, ab infero Aurelia, media Cassia.* Sed nihil hæc ad Campaniam, néque ex eâ nomen inditum regioni, vt Valeriæ, vt Flaminiæ, vt Æmiliæ: non enim viæ omnes sua nomina regionibus adiacentibus commodabant; non ipsa Appia regina viarum, vt à Statio nuncupatur. Quocirca eadem macula è Paulo Diacono eluenda, vbi ait: *constat autem Aureliam, Æmiliámque, & Flaminiam*

à conſtratis vijs, quæ ab Vrbe Roma veniunt, & ab eorum vocabulis, à quibus ſunt conſtratæ, talibus nominibus appellari. Legendum enim *Valeriam* non *Aureliam.* In loco tamen Frontini non contendam pertinaciùs vocem *totius* in *potius* mutandam, dum illud *vel* pro *&* capiatur, vt dicamus tributam fuiſſe veteranis partem camporum, & ſiluæ tam Valeriæ regionis quàm Campaniæ. Igitur cùm Campania etiam cis miliarium centeſimum protenderetur, quin & ad ipſam penè Vrbem Romam, videndum, an in verbis illis Cornelij Taciti (*quid enim aliud læſo patrono conceſſum, quàm vt viceſimum vltra lapidem in oram Campaniæ libertum releget?*) Probanda ſit tua emendatio *centeſimum*, pro *viceſimum* reponentis. Quanquàm id quóque ſagaciſſimum Lipſium ſubodoratum fuiſſe comperio.

Non inſuauia ſunt, quæ diſſeris ad finem capitis de duobus Latijs, & de Ponte Campano, locum explicans Itinerarij Peutingeriani ex Horatio, eiúſque interprete. Mentio quóque eius Pontis eſt in veteri Itinerario Hieroſolymitano, quod publici iuris fecit Petrus Pitheus de re literariâ ſi quis alius optimè meritus. Nam vbi iter deſcribit à Capuâ ad Vrbem, ita loquitur: *Ad octauum M.* VIII. *Ponte Campano M.* IX. *Sinueſſa. M.* IX. *&c.*

CAPVT SEXTVM.

BARONIVS A CALVMNIIS vindicatus. Canon Vrbicarius, regiones Vrbicariæ ab Vrbe. Ægyptus, Africa, Sicilia frumento Vrbi præstando addictæ. Frumenti Alexandrini præstatio Constantinopolim translata.

TOTVS hîc es in refellendâ Card. Baronij opinione de Regionibus Vrbicarijs. Licet autem coniectura nostra à Baronianâ non minus abeat, quàm à tuâ, aio tamen non earum esse virium tuas machinas, vt Baronij fundamenta conuellere queant. Modestiùs profectò actum oportuit cum viro honorum, virtutúmque ac doctrinæ luce illustrissimo, cui rem Christianam maximoperè debere, optimus quisque fatetur.

Videtur tibi Baronius argumentandi legem minus seruasse, quòd collegerit ex Codicis Theodosiani constitutionibus, in quibus Vicariæ regiones ab Italiâ separantur, quasdam esse regiones extra Italiam, quæ Vrbicariæ dicerentur. Cur ridiculam huiusmodi collectionem censeas, ego sanè non video. Quùm legerim apud Cæsarem, Venetos esse in Galliâ Transalpinâ populos: ridebo qui me riserit colligentem, quos-

dam etiam esse Venetos extra Italiam. Si in duabus Codicis Theodosiani constitutionibus regiones Vrbicariæ opponuntur Italiæ, cur elicere inde non potuit Baronius, eas regiones fuisse extra Italiam? Si Suburbicarias regiones nuncupatas perspexit Picenum, & Tusciam, eandémque appellationem cum Vrbicarijs confundi obseruauit, cur efferre illi non licuerit, Vrbicarias itidem fuisse quasdam regiones, quæ intra Italiam ac propè ipsam Vrbem sitæ essent.

Arguis præterea Baronium, quòd Vrbicarias regiones extra Italiam in Africâ, & Siciliâ constituerit ex l. 9. Cod. Theod. de extraor. muner. & l. 1. Cod. Theod. si per obrept. quibus in legibus Vrbicarias regiones ab Africa & Siciliâ nominatim, & disertissimis omnino verbis distingui ais: his nempè: *non enim per Italiam tantùm, sed etiam per Vrbicarias regiones, & Siciliam, &c.* Item: *sinceritas tua idipsum per omnem Italiam, tùm etiam, per Vrbicarias, Africanasque regiones firmabit.* Sed mirum audi. Quod tu seiunctim intelligendum contendis, ille coniunctim accipit. quæris, quo pacto? perinde ac scriptum esset: *per Vrbicarias regiones, atque adeò per vniuersam Siciliam.* Item: *per Vrbicarias cæteràsque Africanas regiones.* Haud enim adeo insolens id loquendi genus; nec permittam hac in re alio quàm te Baronius patrono vtatur. Vbi tu suprà tertio capite locum illum Pollionis protulisti: *Aurelianus pudore victus Tetricum, quem triumphauerat correctorem totius Italiæ fecit, id est Campaniæ, Samnij, Lucaniæ, Brutiorum, Apuliæ, Calabriæ*

briæ, Hetruriæ atq; Umbriæ, Piceni, & Flaminiæ, omnísque annonarię regionis; hæc subdis (tua enim ipsa verba transcribam) *Quas annonariarum appellatione regiones Pollio intellexerit, ex eius verbis distinctè definiri non potest, nisi illasce regiones ipsas, quas eo loco recenset, indicare voluerit: Hetruriam quippe, & Picenum inter eas annonariarum numero fuisse mox ostendemus: vt illis proinde Pollionis verbis, omnísque annonarię regionis, vox συλλαμβανη ADEO subintelligenda videatur: quod sanè pro comperto habeo.* Quam igitur fas tibi fuit comminisci interpretationem ad Pollionis verba, cur non eandem accommodare Baronio licuerit duabus illis constitutionibus Theodosiani Codicis?

Postremò vitio vertis Baronio, quòd ex appellatione Canonis Vrbicarij, quæ, qualésve essent regiones Vrbicariæ vestigatum iuerit. Hoc tu siculneum argumentum appellas. atqui recurrat velim tibi in mentem Horatianum illud.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum.

è quo tamen trunco effinxit nescio quis faber deum quendam tui similem, nempè ex eorum numero, qui finium tutores, custodésque terminorum (qualem te ipse declarasti) antiquitùs statuebantur. Videamus igitur, an siculneum hoc argumentum ita confirmari possit, vt regionum Vrbicariarum limites ex Baronij sententiâ designet. Obseruauerat ille, Vrbicarium Canonem appellari, quòd Vrbi Romę deberetur à prouincijs quóque extra Italiam, proinde nihil repugnare

exiſtimauit, quominus, & eædem Prouinciæ dici Vrbicariæ poſſent. *Vrbani vſus frumenta* appellat l. 3. Cod. Theod. de Canon. frum. Vrb. Rom. etiamſi in Africâ adhuc reſiderent: & Claudianus *Romuleas ſegetes*: cur non,& Africæ regiones hiſcè frumentis præſtandis addictas, Vrbicarias appellare liceret? *Si ita eſt* (inquis) *iam vel omnis Occidens* (*ne quid de Oriente dicam*) *Vrbicariarum regionum appellatione cenſendus erit.* Fugit te ratio, mi coniector. quo enim tempore obnoxiæ factæ ſunt Galliæ præſtando frumento Vrbi Romæ? quo aliæ complures prouinciæ? Africæ & Siciliæ indictus præcipuè is canon fuerat. Etiam Ægypto olim, & quidem primo loco, nam Africa habita fuit veluti ſubſidiaria. Lampridius de Commodo: *claſſem Africanam inſtituit, quæ ſubſidio eſſet, ſi forte Alexandrina frumenta ceſſaſſent.* Sed Conſtantinianis temporibus, quùm regiones Vrbicariæ appellari cœperunt, Ægyptia canonis præſtatio Conſtantinopolim tranſlata fuit. Adeo enim hominum multitudo eâ in Vrbe excreuerat, vt ſcribat Eunapius Sardianus in Sopatro, impares alendo populo fuiſſe frumentarias copias ex Ægypto vniuerſâque Aſiâ cum Syriâ, & Phœnice, alijſq; prouincijs illuc comportatas. Quùm priùs Byzantinus ager aliarum Vrbium egeſtati ſubueniret. Compertum eſt, nihil æquè nocuiſſe D. Athanaſio atque mendacium auribus Imperatoris inſtillatum ab Arrianis confingentibus, minatum illum fuiſſe, vetiturum ſe, ne Alexandrinum frumentum Conſtantinopolim, vt ſolebat,

aduehcretur, qua de re Socrates lib. 1. cap. 23. Atque illud est, quod Roma querebatur apud Claudianum de Bello Gildonico.

Tot mihi pro meritis Lybiam, Nilúmque dedêre,
Vt dominam plebem, bellatorémque Senatum
Classibus æstiuis alerent; geminoque vicissim
Littore diuersi complerent horrea venti:
Stabat certa salus. Memphis si forte negasset,
Pensabam Pharium Getulis messibus annum.
Frugiferas certare rates, latéque videbam
Punica Niliacis concurrere carbasa velis.
Quùm subitò par Roma mihi, diuisáque sumpsit
Æquales aurora togas. Ægyptia iura
In partem cessêre nouam. Spes vnica nobis
Restabat Libyæ, quæ vix, ægréque fouebat
Solo ducta Noto, nunquam secura futuri,
Semper inops, ventíque fidem poscebat, & anni.
Hanc quóque nunc Gildo rapuit. &c.

Quòd innuit Claudianus nauigationem Africanam intutam fuisse, Vrbi laboranti præsto interdum erat frumentum ex ipsa Ægypto inuectum, id quod colligere est ex Symmacho lib. 10. ep. 22. sed & aliunde. idem l. 3. ep. 82. *ex inopia namque publicus metus versus est in gaudium: postquàm venerabilis pater patriæ Macedonicis commeatibus Africæ damna pensauit, quem nunc omnes, vt altorem generis humani deum diligunt; nihil enim passus est Austris contumacibus aduersus Romam licere.* De solicitudine, metúque Romanorum ob impendentem famem

occupata à Gildone Africa, idem Symmachus lib. 4. epist. 4.

Igitur Africa Vrbicario canoni propriè erat obnoxia, velut & Sicilia, siue quædam in vtráque regiones, quas ideo Vrbicarias appellatas non absurdè ratus est Baronius. Ergò & suburbicariæ dici poterant, si huiusmodi appellationes confundi consueuissent, quèadmodum tu ipse docere conatus es. Exclamas tamen: *quomodo quæso Suburbicariæ dici potuerunt prouincię tanto terrarum, marisque interuallo ab Vrbe disparatæ?* eo nimirùm modo, quo M. Tullius non semel Siciliam nominauit *prouinciam Suburbanam*, quemadmodum Florus quóque fecit, vt & à te animaduersum. Quòd si non hæc tibi faciunt satis, facient opinor, quæ tu docuisti de vi & significatione nominis Suburbicariarum: ais enim capite secundo, sic dictas eas regiones *non magis à situ, quàm quòd Vrbi subessent, id est sub Vrbis diœcesi essent.* igitur si ratio situs non adeò est habenda, id quóque nomen aptandum videbatur regionibus quantumuis longinquis, dummodo Vrbi peculiariter addictæ forent, quemadmodum illæ erant, quæ Vrbicario canoni obnoxiæ perpetuò tenebantur.

In extremo capite calumniam Baronio impingis, dum sic loqueris: *denique quis non videt ridiculam vocis etymologiam? non aliter ac si quis Vrbicariam Prefecturam ab Vrbicario canone deducat.* Iam si ferream frontem non haberes, pertimescenda tibi lex Remmia fuerat. Nunquid Baronius hasce ineptias protulit? ab Vrbe

fatetur ille & canonem Vrbicarium, & regiones Vrbicarias esse dictas. Atque eius verba illa sunt: *sed vnde id quęso nomen, & quænam, & cur dictæ reperiuntur etiam extra Italiam positæ Vrbicariæ regiones? Res est haud facilis exploratu. Ex eo tamen quem inuenimus dictum canonem Vrbicarium, possumus etiam intelligere regiones Vrbicarias: sunt enim hæc veluti cognata.* Si cognata sunt, ergo non aliud ex alio ortum est, aut deductum. innuit verò vtrámque appellationem deriuari ab Vrbe: vt & canon, qui in Vrbem ex longinquis regionibus mittebatur, Vrbicarius, & quæ canonem illum regiones præstabant, Vrbicariæ dicerentur.

Illud etiam pronunciare es ausus: *verùm si immemorię magis omnis hæc Baronij argumentatio tribui debet, & deceptus magis ipse, quam decipiendi alios animum habuit.* &c.

——— ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων;

vt quenquam Baronius sciens volens deciperet? si tibi cognita viri integerrimi probitas árque adeo sanctimonia, linguam momordisses potius, quàm vt in isthæc verba erumperet. Homo tamen erat, quid ni illi humanitùs aliquid exciderit, præsertim in rebus huiusmodi, quarum ignoratio, aut scientia momenti nihil afferunt ad æternæ beatæq; vitæ adeptionem? Turpior tua fuit hallucinatio, qui illum tibi sumpsisti castigandum. Ille Vrbicarias regiones Suburbicarias quóque dici nulla distinctione adhibita credidit. an non & tu promiscuas fecisti eisdem appellationes? Largior ille fuit in statuendis extra Italiam quóque

generaliter acceptam ijs regionibus: tu tenacior in coarctandis omnibus intra centesimum ab Vrbe lapidem. Non animaduertisse ille visus est, speciali Italiæ nomine interdum dictam partem vniuersæ Italiæ: tu reperire neutiquam valuisti, quæ nam verè fuerit specialis Italia. Hæc omnia nos in superioribus dilucidauimus, nec vereor ne nostra de Vrbicarijs regionibus coniectura cæteris non antistet. Quod ni hoc sit; tuam profectò præ Baroniana procul esse habendam nemo non fatebitur, qui iudicio penitus non destituatur.

DE

DIOECESI EPISCOPI ROMANI,

DISSERTATIO SECVNDA.

CAPVT PRIMVM.

IN REGIONIBVS SVBVRBICARIIS nulli olim Eccleſiaſtici Metropolitæ. Quæ ſolicitudo Romani Pontificis, quæ aliorum Epiſcoporum in vniuerſâ Eccleſiâ. Generalia Concilia à Pontifice Max. confirmantur. Synodus quæ in Nouella Valentiniani. Ammianus expoſitus. Romanus Pontifex ſupra alios Epiſcopos. Eccleſiaſticæ dignitates ciuilium formam non ſequebantur. Maiorum Vrbium Epiſcopi cur digniores. Romani Epiſcopatus prærogatiua non à dignitate Vrbis, ſed à primatu Petri. Ridicula collatio Præfecti Vrbi cum Romano Epiſcopo. Excuſſa decreta Africanorum Conciliorum. Sardicenſe Concilium cur ſub nomine Nicæni citaretur. Le-

ges ciuiles de rebus Eccleſiaſticis inualidæ. Declaratur ſextus canon Concilij Conſtantinopolitani primi. Ordo Eccleſiaſticorum iudiciorum.

IN priore diſſertatione aliquid dixiſſe tu quidem videri poteras, quod in theatro eruditorum plauſum mereret. In hac verò poſteriore à doctis probíſque viris exſibilandus es, átque explodendus. Atq; vt monſtrum veluti demiſſis aulæis ſtatim producas, parùm ſibi congruere videntur, quæ in medium affers, dum eccleſias, quas Rufinus Suburbicarias nominat, eas eſſe cenſes, quæ Suburbicarijs regionibus comprehenderentur, hoc eſt, quæ intra centeſimum ab Vrbe lapidem eſſent; haſque Diœceſim conſtituere dicis Romani Epiſcopi: addis verò ex Hincmaro, propriam, ac ſpecialem fuiſſe Romanæ Eccleſiæ Diœceſim, quæ plures Metropolitanos haberet. Siquidem aperiendum tibi fuerat, quinam eſſent hi Metropolitani, ijq; plures centeſimo milliario incluſi. Neminem enim inuenies præter ipſum Romanum Epiſcopum; Vt ex teſte à te laudato liquidò ſatis appareat, Romanæ Eccleſiæ Diœceſim vltra centeſimum lapidem atque adeò regiones Suburbicarias excurriſſe.

Duo præterea obſeruanda tenendáque mones, primum non ſolùm Romano, ſed & ceteris Epiſcopis, præter ſpecialis diœceſeos ſolicitudinem curam vniuerſæ Eccleſiæ incubuiſſe. Qua in re nolim te generatim

tim loqui: nam quòd ab alijs id monitum asseris, satis mihi fuerit reponere, huiusmodi sententiam à doctis pijsque viris esse penitus explosam. Docendum sanè tibi foret, id iuris, quod Romani Episcopi in alienis diœcesibus quùm opus fuit exercuêre, ceteros Episcopos exercuisse in Diœcesi Romanâ: ita autem exercuisse, vt vniuersæ consensu Ecclesiæ comprobatum sit. Clàm te esse non potest, patres Chalcedonenses adeò exhorruisse Dioscori Patriarchæ Alexandrini procaciam, qui sententiam ferre in Leonem Papam ausus est, vt illam potissimum ob causam damnatus ab ijs fuerit, quemadmodum testati sunt in epistolis cùm ad Leonem ipsum, tùm ad Imperatores. Multa sunt totius Ecclesiæ bonum spectantia, quæ non Episcopis tantùm, sed alijs quóque Christianis curæ esse possunt. exemplorum loco hæc sint. Intererat Catholicæ Ecclesiæ, tuas detegi dicam nè hallucinationes, an fallacias? eam mihi ego curam sumpsi: nùm tu hinc colliges, parem me esse Episcopis? Intererat olim eiusdem Ecclesiæ, Marcianum Episcopum Arelatensem, quia Nouatiani Sectę addictus multos seduxerat, extra communionem fieri, & honore priuari; Num D. Cyprianus, cui ea res innotuit, id sibi iuris sumpsit? minimè verò, sed Stephanum Romanum Pontificem per litteras monuit, vt pro sua auctoritate alium in eius locum substitueret. An non & idem fecit Athanasius? & tamen magnam ille regebat Alexandrinam Ecclesiam, quæ secunda erat post Romanam. Præstat eius

verba hîc adſcribere ex epiſtolâ ad Epiſcopos Africæ: ὅτως οὖν ἀφελόμενοι, ἐπεδὴ συνέβη συνελθεῖν ἡμᾶς, ἐγράψαμεν καὶ τῷ ἀγαπητῷ ἡμῶν Δαμάσῳ τῷ ἐπισκόπῳ τῆς μεγάλης Ρώμης, κατὰ τοῦ Αὐξεντίου τοῦ ἐπελθόντος τῇ ἐν Μεδιολανίῳ ἐκκλησίᾳ δηλοῦντες τὰ κατ' αὐτόν. ὅτι τε οὐ μόνον τῆς Ἀρειανῆς αἱρέσεώς ἐστι κοινωνὸς, ἀλλὰ καὶ ὑπόδικος ἐστι πολλοῖς κακοῖς, ἃ ἐξ ἀσεβείας αὐτοῦ. καὶ θαυμάζοντες, πῶς μέχρι νῦν οὐ καθῃρέθη καὶ ἐκβέβληται τῆς ἐκκλησίας, *Certè quùm hoc animo eſſemus, & contigiſſet nos in vnum conuenire, ſcripſimus dilecto Damaſo Epiſcopo magnę Romæ contra Auxentium inuaſorem Mediolanenſis Eccleſię, eumq; non ſolum eſſe in communione Arrianicę ſectę, ſed prętèr hoc multorum ſcelerum reum eſſe, quę vnà cum ſocio ſuæ impietatatis patrauit, miramúrque, cur nondùm depoſitus eiectuſq; ſit ex Eccleſia.* Si te Anonyme, Cyprianus, atq; Athanaſius audiuiſſent docentem, vniuerſæ curam Eccleſiæ ſingulis Epiſcopis incumbere, compendiariam fortaſſe viam quæſiuiſſent. Sed nugæ iſthæc ſunt. Non fugiebat ſanctos viros, quid iuris eſſet in Eccleſias Arelatenſem, & Mediolanenſem Romano Pontifici, tùm quòd eius propria diœceſis vniuerſus Occidens erat, tùm etiam ob ſummam eius poteſtatem in omnes Eccleſias, vbi eâ vti opus eſt. Id multoties præſtitum in Conſtantinopolitanâ, in Alexandrinâ, in Antiochenâ, aliiſq; diœceſibus, notius eſt, quàm vt commentarium hunc onerare ſit neceſſe: tu tamen exempla à Baronio, & Bellarmino in eius rei argumentum adducta ferè nihili eſſe

censes; nouitatísque amatores in spem erigis aliûs commentarij à te edendi. Videbimus sanè, quid virium futurum sit vni pigmæo aduersus duos Hercules. Interim Athanasius ipse exemplum præbere tibi potest eius curæ, quæ singulos Episcopos tangit ad bonum totius Christianæ Reip. procurandum. Id graphicè describit D. Basilius epistolâ ad eum datâ: τῷ μὲν ἄλλων τῶν πλείστοις ἐξαρκεῖ, τὸ καθ' ἑαυτὸν ἕκαστον σκοπεῖν· σοὶ δὲ οὐκ ἐκανὸν τοῦτο, ἀλλ' ἡ μέριμνά σοι πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν τοσαύτη, ὅση καὶ τὰ ἰδίως σοὶ δὲ τοῦ κοινοῦ διακοσμεῖσθαι ἡμᾶς ἐπιστροφῆς δεῖται, ὅς γε οὐδένα χρόνον ἀφαλείπτως ἀφαλειφόμενος, καθάπερ τῶν, ὑπερφέλλων, ἐκπέμπων τινὰς ἐκάστοτε τοὺς ἐπανορθωσομένους τὰ βέλτιστα, *aliorum quàm plurimis satis est, si sibi ipse quis circumspiciat. Tibi verò id minimè satisfacit, sed tanta omnium Ecclesiarum te cura tangit, quanta eius, quæ tibi peculiariter à Domino commissa est. Vsque adeo, vt nullum intermittas tempus diserendi, admonendi, scribendi, mittendiq; frequenter aliquos, qui passim quid optimum sit insinuent.* Consule & D. Gregorium ad interrogationes Augustini Anglorum Episcopi lib. 12. epist. 32. Sed huiusmodi prouinciam ij etiam, qui Episcopi non sunt, sumere interdum sibi possunt. Reperies apud Theodoretum in vitis Patrum, magnum illum Simeonem columnarium, multa pro Ecclesijs laborasse. Pugnabat interdum cum ethnicorum impietate: aliquando Iudæorum peruicaciam frangebat: sæpè hæreticorum machinamentis obuiam ibat: scribebat ad Imperatorem: Magistratus conueniebat: pastores ipsos

Ecclesiarum diligentiorem gregis curam gerere compellebat. Quid de D. Hieronymo dicam? quid de alijs? At Romanos Pontifices præter huiusmodi sollicitudinem, summam quóque auctoritatem, ac potestatem iudiciariam exercuisse constat. Annalium magna volumina contexeret, qui eius rei exempla vellet congerere. Nobis sat erit apponere, quod in præsentiâ ad manum est. Obolucrat sanctissimo Pontifici Innocentio, facinora quædam in Palæstinâ fuisse perpetrata. Itaque non tantùm per litteras socordiam coarguit Ioannis Hierosolymitani Episcopi, sed maiora quóque remedia adhibere conatus est: Diuóque Hieronymo ijs in regionibus tùm degenti hæc inter cetera scripsit: *Itáque excitati tantâ malorum scenâ, arripere auctoritatem Sedis Apostolicæ ad omne comprimendum nefas festinauimus; sed in quem insurgeremus, nec nomine appellatum legimus, nec criminis aliqua ratione taxatum. Quod ergo possumus, condolemus. Si deposueris autem apertam, manifestamq; in homines aliquos accusationem, aut iudices competentes tribuam, aut si quid vrgentius, solicitiúsque à nobis fieri potest, non retardabo.* Si Innocentius id sibi pręter ius arrogasset, putas ne Hieronymus compescuisset linguam, qui Hierosolymitanum Episcopum reprehendit, quòd Diœceseum iura confudisset, confugiens nescio qua de re ad Alexandrinum Patriarcham; quùm ire ad Metropolitanum Cæsareæ debuisset, aut ad Patriarcham Antiochenum, cuius in Diœcesi erat? Vide epistolam eius 61.

Mones secundo loco, honoris primatum accessisse Episcopis ex vrbium dignitate, in quibus constituti essent, quod sanè inficiandum omnino non est, sed nec perpetuò concedendum. Tute vidisti, quæ Berterius scripsit cap. vlt. secundæ diatribæ: quibus opponis, quæ in Chalcedonensi Synodo adscripta verba reperiuntur, nimirum prærogatiuam Romanæ Sedi fuisse tributam, διὰ τὸ βασιλεύειν τὴν πόλιν ἐκείνην, hoc est, *quòd ea Vrbs imperaret.* Quid si tibi dixerim, isthæc verba, apud illos, quibus cor sapit, nihili ferè esse? Qui sic loquuti sunt, consultum volebant Episcopo Constantinopolitano, secundum ei locum tribuere satagentes: néque enim alius rationis suffragio inniti poterant, quàm quòd Vrbs illa veteri Romæ ab Imperatoribus æquata esset: Tentabántque accommodare ad ciuilia res Ecclesiasticas. Atq; adeo, quod in ipsis erat, ij fecerunt. Verùm nullam is canon vim habuit, vtpote, quem post dimissum Senatum, quùm iam Pontificij Legati recessissent, Anatolius Constantinopolitanus Episcopus à collegis extorsit, & tanquam appendicem Cõcilio addidit. Ac propterea non solùm ab ipsis Legatis contrà nitentibus, & protestantibus comprobatus nequaquàm fuit, sed ipsum etiam Leo Pontifex irritum fecit, quemadmodum ex eius epistolis liquidò apparet. Vt enim Conciliorum robori opus est Romani Pontificis auctoritate (quod Catholicis in confesso est, & præter vetustam consuetudinem à scriptoribus traditam testatur septima Synodus act. 6.) ita in legitimis

Concilijs, quod definitum est repugnante eodem Pontifice, nullarum esse virium censendum est. Exemplis, quæ sunt in promptu, supersedeo. At verò, quùm Leonis Pontificis arbitrio obsequentes se præbuerint & Anatolius ipse & Imperator, vt mox ostendemus, insurgere contrà tu audes post tot sæcula? id erat scilicet, quod magnis votis expetebat Vrbs Constantinopolis, vt quæ tandiù premitur Turcicæ tyrannidis iugo, solatij aliquid caperet ex tanto suorum priuilegiorum vindice.

Suauis es verò, dù verba profers Constitutionis nouellæ Valentiniani Imp. quæ sic habent: *quùm Sedis Apostolicæ primatum S. Petri meritum, qui Princeps est Episcopalis coronæ, & Romanæ dignitas ciuitatis, sacræ etiam Synodi firmarit auctoritas*, &c. Quæ verba, si quid sentis, tuum petunt iugulum. Nam etsi tribuat aliquid Imperator ille dignitati Romanæ Vrbis, priorem tamen potiorémque causam primatus Apostolicæ Sedis eam esse liquidò fatetur, quod S. Petrus Princeps Apostolorum sit atq; Episcoporum. *Quis enim nescit, Apostolatus principatum cuilibet Episcopatui præferendum?* aiebat D. Augustinus lib. 2. de Bapt. cont. Donat. Ac Berterius, quem fugillas quasi minus considerate Synodum Nicœnam eâ Nouellâ innui dixerit (existimas enim Constantinopolitanam potius indicari habitam anno Christi 381.) aduersus tuam sententiam rectè colliget, in canone Constantinopolitanæ Synodi verbum nullum de merito S. Petri ad primatum Romanæ Ec-

clesiæ statuendum, ergo de alia Synodo sensisse potiùs Valentinianum, fatendum est, qui causam illam priorem potioremque ex Concilio desumsisse videtur. Tu verò canonem illum tertium Concilij Constantinopolitani tanquàm indubitati roboris laudas: neque curæ tibi est, quòd falsum, aut suppositititium Baronius, alijque arguerint, quodq; Romani Pontifices tanquàm legitimum nunquàm agnouerint. Qui sanè quùm tàm acriter repugnarint ambitioni Episcopi Constantinopolitani, tametsi illorum Primatus minimè læderetur, quid facturos fuisse putas Alexandrinum, & Antiochenum Episcopos, qui in tertium, quartúmque locum submouebantur, si eâ de re in frequenti Concilio agi audiuissent? deinde cur eius Concilij Patres, quùm Damasum Pontificem, & Romanam Synodum certiorem fecerunt de ijs, quæ acta in Concilio fuerant, de priuilegio huiusmodi Constantinopolitanæ Ecclesiæ prorsus silent? Illud profectò constat, cauisse diligenter Constantinopolitanos Episcopos, ne illius canonis additamentum ad Sedis Apostolicæ notitiam perueniret; quâ de re Leo Pontifex Anatolio postea scripsit. Et reuera exitum nunquàm consequuta res fuit, quod idem Pontifex testatus est ijs verbis in epistolâ ad Pulcheriam Augustam: *frustra quorundam episcoporum profertur consensus, cui tot annorum series negauit effectum.* Nam quòd concessus honor Constantinopolitano Episcopo fuerit traditus, id non arguit in ceteris quóque rebus primas ei concessisse Episcopos Alexandrinum,

& Antiochenum. eodem enim pacto Hierosolymitanus, qui Metropolitæ Cæsarienſi ſuberat, in ſeſſione præponebatur.

Mucronem non minus aduerſus te vertunt, quæ profers verba Ammiani Marcellini ex lib. 15. nam excipienda riſu eſt tua illa expoſitio, qua dicis, dignitatem tantummodo indicari atq; auctoritatem Romani Pontificis non in Epiſcopos alios, verùm inter Epiſcopos. Scribit Ammianus de vehementi ſtudio ab Imp. Conſtantio adhibito, vti ſententia in D. Athanaſium ab Epiſcoporum conuentu lata confirmaretur auctoritate Romani Pontificis, ijſq; verbis vtitur: *Hunc per ſubſcriptionem abijcere Sede Sacerdotali paria ceteris ſentiens iubente Principe Liberius monitus, perſeueranter renitebatur; nec viſum hominem, nec auditum damnare, nefas vltimum ſæpè exclamans, apertè ſcilicet recalcitrans Imperatoris arbitrio. Id enim ille Athanaſio ſemper infeſtus licet ſciret, impletum tamen auctoritate qua potiuntur æternæ Vrbis Epiſcopi, firmari deſiderio nitebatur ardenti.* Si de Athanaſij condemnatione agebatur, an non Liberij Pontificis poſcebatur auctoritas in Epiſcopum, eúmque primum (ſe excepto) inter omnes Epiſcopos? Inſuper quis ſanæ mentis credat, tanto conatu id quæſiuiſſe Imperatorem, vt neſcio quæ dignitas ſplendórve ſententiæ accederet ceterorum Epiſcoporum? At dices, ex Ammiani mente, *ſciebat impletum*, hoc eſt Athanaſium eſſe iam legitimè damnatum. Vt demus hoc, non tamen efficies, quominus intelligamus, maius ſaltem robur ex Romani Epiſco-

Episcopi auctoritate ei rei quæsitum. Id fit quotidiè, quum impetratum ab Episcopo aliquo priuilegium, & si per se validum, petimus, vt auctoritate quoq; Apostolica fulciatur. Tuam itaq; interpretationem abnuit Marcellinus, ac sanè quod aiebat Dominus de Iudæis, fore vt olim à Reginâ Austri iudicentur, id de te quoq; existimari par est; vt scilicet in extremâ criminum ac vitæ cuiusq; discussione obiecturus tibi sit ethnicus homo, rectiùs se de summo Pontifice sensisse, reum te peragens etiam apud iustissimum iudicem de obliquâ tuâ eius loci explicatione.

Igitur Romani Pontificis auctoritas non inter Episcopos tantùm, sed & in Episcopos: quoniam is Episcopus est Episcoporum, vt Arnobio dicitur ad Psal. 130. & ipsos Romanos Episcopos in edictis, quæ vniuersæ Ecclesiæ proponebant, ita inscribi solitos, *Pontifex Maximus Episcopus Episcoporum*, liquet ex Tertulliano lib. de pud. idque ijs temporibus, quibus (vt tu censes) sanctior erat Ecclesia. Nimirum vni Petro, in cuius postea locum Romani Episcopi successerunt, Pastoris nomen tributum, scitè animaduertit Arnobius loco supra laudato: *nullus* (sic ille loquitur) *Apostolorum Pastoris nomen accepit; solus enim Dominus Iesus-Christus dicebat, Ego sum Pastor bonus; & iterum, Me, inquit, sequuntur oues meæ. Hoc ergò nomen sanctum, & ipsius nominis potestatem post resurrectionem suam Petro pœnitenti concessit, & ter negatus negatori suo hanc, quam solus habuit, tribuit potestatem.* Nam etsi communicatum id nomen ceteris

quóque Episcopis, si ad summam Romani potestatem respicias, ij ouium etiam loco habendi. Ac sanè quùm Christus Petro dicebat: *pasce agnos meos, pasce oues meas*, sub ouium symbolo Episcopos, sub agnorum reliquos fideles videtur comprehendisse. Nam Episcopi Patres censentur Christianæ plebis, quemadmodum sunt oues agnorum Matres. Quamobrem sic D. Bernardus Eugenium alloquebatur: *Sunt quidem & alij cæli ianitores, & gregum Pastores, sed tu tanto glorioſiùs quantò differentius vtrumq; præ ceteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi vniuersi crediti sunt, vni vnus; nec modò ouium, sed & Pastorum tu vnus omnium Pastor. Vnde id probem, quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed & Apostolorum sic absolutè, sic indiscretè totæ commissæ sunt oues? si me amas Petre, pasce oues meas; quas? illius, vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certè regni? Oues meas, inquit: cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes?* Iam tuos Gallos D. Bernardo itidem Gallo fidem magis quàm tibi habituros existimo, quem sciunt sanctissimum fuisse virum: quem quũ Deus tot signis, & miraculis illustrauerit, carum ipsi fuisse apparet. quî autem carius Deo esse poterat, si à rectâ, & Catholicâ credendi viâ aberrasset? Quod attinet ad verba, quæ in medium adducis ex historiâ Seueri Sulpicij, locus erit aliquid dicendi ad cap. 3.

Pergis verò demonstrare, Episcoporum Sedes ad ciuitatum, in quibus sitæ erant, dignitates, átque præeminentias sese conformasse. Quod non omnino ne-

gandum iam supra diximus, & colligitur ex epistolâ Iulij Papæ ad Orientales. Sed nec omni ex parte fatendum docuit luculenter Berterius, quem non compilo. Impetrauerat olim Eustathius Beryti Episcopus in conuentu quodam Episcoporum Constantinopoli habito, vti ad Metropoleos honorem Vrbs illa euheretur, sex illi ciuitates Phœniciæ primæ subijciens: idq; rescripto Imperatoris firmandũ curauerat, consensum quoq; extorquẽs à Photio Tyrensi Metropolitâ. Photio postmodum eâ de re conquerente in Chalcedonensi Concilio, ἡ ἁγία συνόδος εἶπε. κατὰ τῶν κανόνων τὸ πραγματικὸν μηδὲν ἰσχύσῃ· οἱ κανόνες τῶν πατέρων κρατείτωσαν, *Sancta Synodus dixit, aduersus canones pragmatica nihil valebit. Regulæ patrum teneant.* In eam sententiam demum itum est, vt Tyrensi Metropolitæ ius esset ordinandi in vniuersis suæ prouinciæ vrbibus: at Beryti Episcopus ex Imperiali pragmaticâ nihil amplius sibi vindicaret, quàm reliqui eiusdem prouinciæ Episcopi. Sic propè definitum in eodem Concilio Act. 13. de Episcopo Niceæ, quæ Vrbs Metropoleos honore Principis priuilegio decorata fuerat, vt scilicet honore contentus non ordinationes, non aliud quid ad Metropolitę ius pertinens sibi arrogaret, sed ipsi Nicomediensi Metropolitæ subesset ad exemplum aliorum Bithiniæ Episcoporum.

Tu verò hac in re Anonyme parùm tibi videris constare; modò enim morem illum laudas, ac Romanis Pontificibus irascaris, quòd secus interdum statuerint: modò indignaris, quod Episcopi sæcularem fastum

imitarentur. At (inquies) sæcularem typum sectandum laudo, typhum damno atque abominor. Quasi verò non ambitionis arguendus sit Episcopus, qui ciuitatem, in qua sedem habet, ad Metropoleos honorem recenter euectam à Principe videns, ipse quoq; à suo se Metropolitano subducere atque alijs Episcopis imponi quærat. Indaganda est causa, cur optimum factu vetus censuerit Ecclesia, vt ordo Episcoporum cum ciuilibus formis conueniret: hoc est, vt ij Episcopi maiori potirentur dignitate, qui in maioribus ciuitatibus constituti essent: ac propterea Metropolitæ Episcopis suæ prouinciæ, Exarchi, seu Patriarchæ Metropolitanis suæ Diœceseos præficerentur. Causa nimirum ea fuit, quia ad principes ciuitates, vbi tribunalia Magistratuum erant, confluebant homines alijs ex vrbibus, & prouincijs, quos benignitas Ecclesiastici regiminis nolebat maiori incommodo affici, vt aliam petere vrbem cogerentur, siqua de re conueniendus fuerat Archiepiscopus, aut Patriarch. Id innuit nonus canon Antiochenæ Synodi, qui sic habet: τὸς καθ' ἑκάστων ἐπαρχίαν ἐπισκόπους εἰδέναι χρὴ, τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεστῶτα ἐπίσκοπον, καὶ τὸν φροντίδα ἀναδέχεσθαι πάσης τῆς ἐπαρχίας, διὰ τὸ ἐν τῇ μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν πάντας τοὺς τὰ πράγματα ἔχοντας. ὅθεν ἔδοξε καὶ τῇ τιμῇ προηγεῖσθαι αὐτὸν, μηδὲν τὰ προσήκοντα πράττειν τοὺς λοιποὺς ἐπισκόπους ἄνευ αὐτοῦ, κατὰ τὸν ἀρχαῖον κρατήσαντα τῶν πατέρων ἡμῶν κανόνα, *Episcopos, qui sunt in vnaquaque prouinciâ, scire oportet, Episcopum, qui Metropoli præest, curam totius prouinciæ suscipere: eo*

quòd in Metropolim undequáque concurrunt omnes, qui negotia habent. Itáque placuit, eum quoque honore præcedere, reliquos autem Episcopos nihil magni momenti sine ipso agere, ex nostrorum patrum antiquo Canone, qui in vsu est. Id præterea percommodum fuit ipsis Ecclesiarum præfectis, qui perspè ad improbos coërcendos sæcularium Magistratuum ope indigent. Iure itáque is ordò seruatus iam indè ab initio in Ecclesiasticâ politiâ, néque temere postea immutatus, quamuis prouinciarum forma inuerteretur ad Principis arbitrium; ne scilicet dissensiones inter Episcopos excitarentur. Quæ statuta eâ in re sunt à summis Pontificibus Innocentio, Leone, Gelasio, & canone 12. conc. Chalcedonensis, tu ipse profers. qui sanè canon disertè statuit, vt simplex quidam honos Episcopo accedat eius ciuitatis, quæ in Metropolin ab Imperatore euecta est: suum tamen ius veræ Metropoli seruari iubet. σωζομένων (inquit) δηλονότι τῇ κατ' ἀλήθειαν μητροπόλει τὰ οἰκεῖα δικαίων. Sed nunquid refragatur hic canon canoni decimo septimo, qui tanquam fundus est tuæ sententiæ? minimè id quidem: etenim eo loci de nouis Vrbibus agitur, hoc est de vicis, aut pagis, qui aucti ciuitatum priuilegio à Principe donantur: quibus æquum est, vt & sui præficiantur Episcopi, ijq; ex vicis adiacentibus paræciam sibi constituant atq; hac ratione τοῖς πολιτικοῖς, καὶ δημοσίοις τύποις καὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν παροικιῶν ἡ τάξις ἀκολουθεῖ. Ita rectè canonem illum interpretatur Zonaras, qui etiam innuit, pænè inuitam adduci Ecclesiam, vt ciuiles formas

ſequatur: ſic enim loquitur: μονονυχὶ τοῦτο τῶν πατέρων λεγόντων. ὅτι ἐπειδὴ τῇ βασιλικῇ ἐξουσίᾳ ἀντιπίπτειν οὐ δεδυνήμεθα, τοῖς τυπωθεῖσι παρὰ τῶν βασιλέων ἐν πράγμασι ἀκολουθείτω καὶ ἐκκλησιαστικὴ τάξις, *perinde quaſi hoc dixerint patres: quoniam Imperatoriæ ſcilicet poteſtati repugnare non poſſumus, quæ ab Imperatoribus hoc in genere præſcripta fuerint, ea ſequatur quoque Eccleſiaſtica ordinatio.* Hæc de Vrbibus, quæ recèns excitabantur. Quid de ijs, quibus Vrbis priuilegia Princeps adimebat? Tenax ſui ordinis Eccleſia non id facilè ſequebatur. Exemplum habes de Vrbe Conſtantiâ apud Nicephorum lib. 10. cap. 4. & quemadmodum vrbium formas immutati, ſic veteres Prouinciarum terminos refigi ægrè patiebantur præſides Eccleſiaſtici. Interdum tamen Principum placitis matris more indulgentis ſeſe accommodauit Eccleſia. Exempla ex te nonnulla, plura ex Berterio, ex alijs alia petenda. Quapropter Zonaras de 12. illo canone Chalcedonen ſi loquens, καὶ οὗτος δὲ ὁ κανὼν οὐ φυλάττεται πανταχοῦ. πολλαὶ γὰρ ἐπισκοπαὶ καὶ ἐφ' ἡμῶν βασιλικῶν προσταγμάτων εἰς ὑμὴν ἀνήχθησαν μητροπόλεων, *Sed huius quóque auctoritas canonis obſoleuit. Nonnullæ etenim Epiſcopales Eccleſiæ noſtris quóque temporibus ex Imperatorum edictis ad Metropolitanarum honorem ſunt erectæ.*

Sed à diuerticulo in viam: ſi verum eſſet, quod ais, ex Vrbis dignitate prærogatiuam Romanæ Eccleſiæ deriuatam eſſe, fatendum videretur, D. Petrum non à Chriſto domino, ſed ab Vrbe Româ priuilegio illo decoratum fuiſſe, quo Princeps Apoſtolorum, Epiſco-

porumq; omnium dictus est. Id quàm sit ridiculum, tu ipse, sat scio, fateberis. Quùm se Petrus constitutum à Christo videret ceterorum caput, in Vrbe, quæ caput erat vrbium, sedem sibi esse figendam iure censuit, diuinitùs etiam (vt grauissimi sunt testes) admonitus; *vt lux veritatis* (verbis vtor S. Leonis) *quæ in omnium gentium reuelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet.* Néque tamen clàm me est, Vrbis etiam præstantiæ rationem haberi solitam. Sed si quando non sola, primo saltem loco spectabatur ipsa Apostolica Sedes. Itáque diuus Augustinus de Romanâ Ecclesiâ loquens epistolâ 162. *in qua* (inquit) *semper Apostolicæ Cathedræ viguit Principatus.* vides eum non Vrbis, sed Cathedræ principatum respicere, ex merito nimirum (quod aiebat Valentinianus Imper.) S. Petri, cui Apostolatus principatum Christus dedit. Atque hinc suum hausit primatum Romana Ecclesia, *ad quam* (vt ait Ireneus l. 3. adu. hæres. cap. 8.) *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam.* Proinde quacunq; in Vrbe suam Petrus cathedram stabiliuisset, ea nihilominus ceterarum Ecclesiarum caput esset. Innoc. Pontif. epi. 18. de Ecclesiâ Antiochenâ loquens, *Vrbis Romæ sedi non cederet, nisi quod illa per transitum meruit, ista apud se susceptum consummatumque gauderet.* Ac sanè quemadmodum Vrbis dignitati derogatum nolumus, ita quùm de Romanâ Ecclesiâ agitur, potior haberi debet ratio Apostolicæ Sedis. Vides Imperatorem in Nouellâ illâ vtrumq;

coniunxisse, quemadmodum, & Athanasius fecit ep. ad solit. καὶ ὄχ ὅτι ἀποστολικὸς ἦν θρόνος, ἠδέσθησαν, ἀλλ' ὅτι μητρόπολις ἡ Ρώμη τῆ Ρωμαίας ἐστὶν ὑπολαβόντες, *nullâ reuerentiâ ducti, quòd sedes illa Apostolica esset, vel quòd Roma Metropolis esset Romanæ ditionis.* Et Galla Placidia Augusta in epistolâ ad Theodosium Imper. ἐν τῇ σωσθῆ τῆ ἀποστολικῆ θρόνῳ ἡ δίκη παραπεμφθείη, ἐν ᾧ πρῶτος ἐκεῖνος, ὁ τῆς μεγίστης κλεῖς ἀξιωθεὶς ἐπισκέψασθαι, πῶς ἐπισκοπὴν ἐκόσμησε δηλαδὴ. ὁπότε πρέπει ἡμᾶς ταύτῃ τῇ μεγίστῃ πόλει, ἣ πᾶσι τὰ σέβας παραφυλάξαι. *Ad concilium Apostolicæ Sedis iudicium transmittatur, in qua nimirum primus ille, qui cœlestes claues dignus fuit accipere, principatum Episcopatus ordinauit. Quando decet nos huic maximè ciuitati, quæ domina omnium est terrarum, in omnibus reuerentiam conseruare.* Porrò quam tu primatus causam vnicam obtrudis, nec Orientales Episcopi ingerere olim sunt ausi, à recto licet aliàs deriuantes, ac Romanæ Sedi parum æqui. Fatebantur enim in suâ epistolâ, vt est apud Sozomenum lib. 3. cap. 7. φέρειν μὲν πᾶσι φιλοτιμίαν τῇ Ρωμαίων ἐκκλησίᾳ ὡς ἀποστόλων φροντιστήριον, καὶ εὐσεβείας μητρόπολιν ἐξ ἀρχῆς γεγενημένην. *Ecclesiam Romanam primas apud omnes ferre, vt pote, quæ Apostolorum schola, & pietatis Metropolis iam ab initio fuisset.* Nam tametsi multa εἰρωνικῶς scripta ijs in litteris essent, excidit tamen vel incogitantibus persæpè veritas, Deo faciente, qui & ex ore Caiphæ aliud mente euoluentis verissimum de salutari Christi internecione vaticinium elicuit.

Itáque

Itáque falsum est, Ecclesiæ Romanæ primatum ex Vrbis dignitate fluxisse. Multò verò longiùs à veritate aberrat, quod ais, Episcopi Vrbis auctoritatem ad Præfecti Vrbani se iurisdictionem conformasse, vt quemadmodum à ceteris ordinarijs iudicibus, quà Romanum Imperium erat (vt tu quidem existimas) appellabatur ad eundem Præfectum, ita Romanus Episcopus appellationem sibi ex omnibus prouincijs, & diœcesibus assereret. Qua in re fateor, me vim non assequi magnæ tuæ dialectices. Ità enim colligere videris: iure olim prouocatum ex toto orbe Romano ad Præfectum Vrbi: ergo iniuriâ Episcopus Romanus, qui typum eiusdem Præfecti sequi debebat, parilem sibi auctoritatem vindicauit. Nimirum, ais, iurisdictio Præfecti constitutionibus Principum fulta: at prærogatiua huiusmodi Romani Episcopi à Cõcilijs improbata. Igitur vera non erit tua illa sententia tanto verborum apparatu ingesta: *ad Vrbium, & in ijs Præfectorum maiestatem conformata quóque Episcoporum auctoritas.* At auctoritatem hanc ad φιλὴν προεδρίαν refers, quam existimas non ad iudiciariam potestatem pertinere, sed ad vmbratilem quandam Maiestatem, qua inter alios Episcopos Romanus eminebat, nihil in illos potestatis habens. Num igitur à nullis Episcopis ad Romanum appellabatur? Ab ijs fateris, qui intra Suburbicarias regiones Ecclesias haberent. Quid ita? quia, inquis, ijs finibus comprehendebatur Præfecti Vrbi iurisdictio, ad cuius similitudinem æquum visum fuit & Diœcesin

Romanæ Eccleſiæ conſtituere. Iam (vt omittam, fateri te, & alias prouincias fuiſſe, vnde appellationes deferrentur ad Præfectum Vrbi) cur quo tempore pleniſſima erat ex tuâ ſententiâ Præfecti auctoritas, non eadem quoque fuit Romani Epiſcopi? Dixiſſes ſaltem, vt tibi conſtares, olim quidem licuiſſe ad Romanum Epiſcopum appellare ex omnibus prouincijs, quemadmodum & ad Præfectum Vrbi licebat: ſed huius imminutam iuriſdictionem ex Principum conſtitutionibus, imminutionem quóque ſecum traxiſſe Pontificiæ auctoritatis, ídque comprobatum poſtea à Concilijs. Verùm falſiſſima ſunt hæc omnia. Non enim componendus eſt cum Præfecto Vrbi Epiſcopus Romanus, ad quem tanquam ad ſummum Eccleſiæ Principem ſemper ab Epiſcopis, & Metropolitis, à Patriarchis prouocare fas fuit, quemadmodum Imperator qui Princeps erat Romani Imperij, à cunctis Magiſtratibus appellabatur, vt proinde multò, quàm tua, ſit aptior cõparatio, quam ingerit Vualafridus Strabo de Reb. Eccleſ. cap. 31. ſic loquens: *comparetur Papa Romanus Auguſtis & Cæſaribus: Patriarchæ verò Patricijs, qui primi poſt Cæſares in imperijs fuiſſe videntur.*

Te verò non puduit, impudentem Arrianorum arrogantiam in tuæ aſſertionis robur aduocare ex lib. 3. Sozomeni, cap. 7. quid enim mirum, contumaces fuiſſe in Chriſti Vicarium, qui de ipſius Chriſti diuinitate adeò prauè ſentirent? Cáue tu, ne ſuſpicionem inijcias, in vtróque te cum ijs conſentire. Quanquàm al-

terutrum satis est ad perditionem.

Quòd Mileuitani, & Carthaginiensis Concilij decreta obtrudis, nihil agis. Non est profectò, cur Patres illos Africanos erroris damnemus: quanquàm Cõcilia, quæ Pontificis Romani auctoritate destituuntur, cui in Petro datum est à Deo, vt fratres confirmet, quid ni labi possunt? Nosti, quid acciderit Africano Concilio de baptizandis hæreticis. Sed verò aio, quoniam recepta solidataq; apparét auctoritate Sedis Apostolicæ, mentem eorum te non percepisse. Non videtur ijs Concilijs inhiberi prouocatio ad Sedem Apostolicam, sed conuolatio ad transmarina iudicia. Néque enim vnam Romam Africani trans mare constituebant. Itáque non adeò est absurda, vt quibusdam videtur, Gratiani illa exceptio: *nisi fortè Romanam Sedem appellauerint*, quam subdidit Canoni 22. Mileuitani Concilij, 2. quæ. 6. siquidem notum est, pronos eo tempore fuisse presbyteros, aliósque Clericos ad confugiendum ad alienas, & longinquas prouincias. Quod & ipsum Romani Pontifices improbabant. Audi verba Innocentij primi ad Victricium Episcopum: *Si quæ causæ vel contentiones inter Clericos tàm superioris ordinis, quàm etiam inferioris fuerint exortæ, vt secundum Synodum Nicænam congregatis eiusdem prouinciæ Episcopis iurgium terminetur: nec alicubi liceat (sine præiudicio tamen Romanæ Ecclesiæ, cui in omnibus causis debet reuerentia custodiri) relictis his Sacerdotibus, qui in eâdem prouinciâ Dei Ecclesiam nutu diuinò gubernant, ad alias conuolare prouincias. Quod*

si quis forte præsumpserit, & ab officio Cleri submotus, & iniuriarum reus ab omnibus iudicetur. Id igitur esse videtur, quod Mileuitanum Concilium, & Carthaginiense voluerunt. Sed nec, si contendas, ijs locis transmarinarum partium nomine Romanam solùm intelligi Ecclesiam, euinces tamen eius auctoritatem labefactare fuisse tentatum. Quid enim statutum est, quod hoc quóque tempore non permittat Romanus Pontifex? vt scilicet post Episcopale iudicium, Metropolitanus, seu Primas adeatur; nam eâ tempestate maiores tantùm causas adiudicabat sibi Romana Sedes. Innocentius Pontifex câdem epistolâ ad Victricium: *si autem maiores causæ in medio fuerint deuolutæ ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit & vetus consuetudo exigit post iudicium Episcopale referantur.* Inductum est postea bono totius Ecclesiæ (quod vsus ipse patefecit) vt quælibet causæ post Episcopalia iudicia omissis quóque Metropolitanis ad Sedem Apostolicam deferri possint, quo iure nunc vtimur. Quòd verò ais, in Carthaginiensi Concilio inhibita fuisse transmarina iudicia *nullâ supposititi*, (verba tua sunt) *quo ius id tum asserebatur, canonis Nicæni ratione habitâ*: dupliciter peccas; nam definitio illa Concilij nihil Canoni refragatur à Legatis Pontificijs allato. Canon ipse de Episcopis loquitur Romanam Sedem appellantibus: at Concilium Carthaginiense velut etiam Mileuitanum, de presbyteris, alijsq; inferioris Ordinis Clericis. Ideò à Legatis ipsis, qui Concilio intererant, repugnatum nequaquam est, propterea

quod nullâ in re læsam videbant Apostolicæ Sedis auctoritatem. *Quùm* (ait Hincmarus Remensis) *sicut Africæ prouinciæ Canones manifestè demonstrant, à quibus non licet prouocare, ita Sardicenses canones patenter ostendant, appellatio Episcopi ad sedem Apostolicam, quando, vbi, pro quibus fieri, & qualiter exequi debeat.* Præterea modestè parum suppositiuum vocas eum canonem. Nunquid enim ignoras tu, qui Iurisconsultum profiteris, ex errore nominis vitium non creari? Nicænum vocarunt, quod Sardicense dicendum fuerat, cuius esse canonem in ordine septimum, inficiari non potes. Quis verò nescit, Sardicense Concilium æquè ac Nicænum fuisse œcumenicum, nec minoris propterea in Ecclesiâ auctoritatis? Ceterùm, cur Nicænum pro Sardicensi citaretur, vt & Innocentium Papam fecisse constat, epist. ad Victr. cap. 3. & Leonem epist. ad Theodosium Aug. Ea fuisse causa videtur, quòd habebatur Sardicense Concilium tanquàm pars quædam atque appendix Nicæni, quùm Arrianorum reliquiæ (vt dicitur in Synodo Chalcedonensi act. 16.) oppugnatæ in eo essent, quo pacto & pseudosynodus Trullana vnà cum sextâ synodo Constantinopolitana coniuncta & confusa à Græcis est, quamuis multis post annis habita; quia, vt ait Zonaras, œcumenicam illam & legitimam expleuisse quodammodo videbatur. Hûc accedit, quòd codices apud Ecclesias seruabantur, in quibus canones omnes seiuncti ab actis vniuersalium Conciliorum descripti erant, vt eos facilè ad manus haberent. Pri-

mam ſedem occupabant viginti canones Nicænæ ſynodi prefixo etiam nomine: quòd id Concilium neſcio quam dignitatis prærogatiuam habere ſemper viſum eſt. Ceteris, qui ſubiecti erant, nomen apponere non perinde curarunt. Hinc factum, vt ſub nomine, quod præfixum apparebat, laudarentur omnes. Fuêre propterea qui multò plures numerarent canones Nicænæ ſynodi, quàm re verâ eſſent. Id conijci poteſt ex ijs, quæ legimus in opuſculo Hincmari Remenſis Archiepiſcopi aduerſus Epiſcopum Laudunenſem, cuius verba cap. 21. hæc ſunt: *Sed & actio duodecima Chalcedonenſis Concilij, in qua ſcriptum habetur: Regula nonageſima quinta de vacante Epiſcopo; & paulò poſt Leontius ex eodem codice legit regulam* XCVI. *de his qui ad Epiſcopatum vocati, euitant, quas regulas connumeratis à capite* XX. *capitulis Nicæni Concilij. ſiquis per ſingula conſequentia Concilia ex ordine numerauerit, in Antiocheno Concilio loca præfatorum numerorum tenere inueniet.* Sed codex, quem hîc deſignat Hincmarus, is fuiſſe videtur, quo vtebantur Eccleſiæ Orientales, quem etiam poſteà auctum nuper edidit Iuſtellus. In codice verò Eccleſiæ Romanæ Nicænis capitulis Sardicenſes ſubnexi erant. Quod ex eodem Hincmaro colligitur in opuſculo de Diuortio Lotharij Regis, & Tetbergæ Reginæ: *legite* (inquit) *in Sardicenſi Concilio, quod Zoſimus Papa per Fauſtinum Epiſcopum Carthaginienſi ſynodo ex ſuperſcriptione Nicæni dixerit Concilij, &c.* Hoc pacto decuit te loqui, ſi bonâ fide agere voluiſſes: non ſuppoſititium

appellare canonem illum à Pontificijs Legatis adductum. Quem quùm inter viginti capitula Nicænæ synodi non reperirent Africani Episcopi, eâ de re ampliùs quærendum censuerunt. Norant siquidem seruantissimam esse Romanam Ecclesiam veterum legitimorúmque canonum, & fugere solitam sæcularem fastum, quem tamen verebantur posse paulatim irrepere, saltem in vsu potestatis ac iurisdictionis, veluti cum apparitoribus Magistratuum, quos adhibere iam cæperat Philippus Apostolicæ Sedis Legatus, vti elicitur ex epistolâ D. Augustini ad Cælestinum Pont. Interim non, quemadmodum tu falsò asseris, contrarium decreuerunt, sed præstiterunt se obsequentes Apostolicis mandatis, donec diligentius Nicæna statuta explorarentur. Ἔφηται τοίνυν ἡ ἐν Ἀφρικῇ συνόδος, πεθαρχήσασα μᾶλλον τῇ κρίσει Ζωσίμου. *Compertum est igitur, Africanam Synodum iudicio Zosimi potius obtemperasse;* prolatum est in secundo Concilio Nicæno. Euolue etiam synodicam eorundem Afrorum epistolam ad Bonifacium Papam, in qua hæc inter cætera reperies: *quod donec fiat, hæc, quæ in commonitorio supradicto nobis allegata sunt, de appellationibus Episcoporum ad Romanæ Ecclesiæ sacerdotem, & de Clericorum causis apud suarum Prouinciarum Episcopos terminandis, nos vsque ad probationem seruaturos esse profitemur.* Et seruarunt vtique, quemadmodum & anteactis temporibus fecerant, quod ostendit pluribus Baronius in Annalibus ad annum 419. quæ hîc adscribere non præstat, ne multus sim. Ac sanè apparet, post

dubitationes exortas de canone illo à Legatis allato, edoctos tandem fuiſſe, è Sardicenſi Concilio eſſe deſumptum; nam Ferrandus Diaconus Carthaginienſis, qui extremo illo ſæculo ſcripſit, meminit in ſuo Breuiario eiuſdem canonis ſub titulo Sardicenſis Concilij. Mirum profectò videri poteſt, cur deperditum aliquandiù fuerit apud Africanos eius Concilij exemplum; quùm non tantùm Gratus illorum primas cum triginta Africanis Epiſcopis eidem interfuerit, ſed honorificam quóque eius fecerit mentionem in primo Carthaginienſi Concilio cap. 5. Quamobrem quùm perſpicua ſint, quæ decreuit Sardicenſis Synodus capite tertio, quarto, & ſeptimo, de appellationibus ad Romanos Epiſcopos, non ipſi quidquam ſibi noui vſurparunt, ſed dicendum magis eſſet, temerè conatos fuiſſe Patres Africanos ſtatuta conuellere œcumenici Concilij, aut ſi eo tempore illa ignorarunt, id decreuiſſe, quod nullo pacto ſit probandum. Verùm (vt dixi) improbanda potius tua eſt interpretatio, qui mentem illorum neutiquam percepiſti.

Innuis præterea profanum ſæculárémque typhum obiectum Hadriano II. Pontifici à Carolo Caluo Francorum Rege, quòd ille Tranſalpinas appellationes ſibi vſurparet. Qua in re imponere fortaſſe potuiſſes ijs, qui oculis non vtuntur. Etenim qui Caroli epiſtolam legere queunt, perſpicuè colligunt, non tàm illum de appellationibus conqueri, quàm de illatis ſibi contumelijs, ſic enim interpretabatur, quod præceperat Pontifex

Pontifex, vti Hincmarus Laudunensis Episcopus, de cuius causâ agebatur, Regis fretus potentiâ ad limina Apostolorum commearet, vnaq; accusator idoneus, qui nullâ posset auctoritate legitimâ respui. Tametsi Rex culpam potius reijcit in scriptorem epistolę Pontificiæ, ac demum pollicetur, vbi per bellorum occupationes licuisset, Romam se iturum ad accusationem aduersus Hincmarum prosequendam. Hæc proferre in medium libuit, quò tibi in fide adhibendâ cautus sit lector. Nam alioqui Caroli Regis dictum, quid Pontificiæ auctoritati officiat? Verùm tu hominum quorundam rusticanorum more agis, qui amisso fractóve gladiolo, quem habere secum consueuerunt, ligneum inserunt vaginæ, proq; ferreo supponunt, ne vacua vitium ducat: vbi enim deficiunt tibi canones aliæve legitimæ probationes, ad leges sæcularium Principum confugis, ne inanis omnino videaris. Sic extremo hoc capite Cõstitutiones nonnullas laudas Iustiniani, Leonis, Constantini Imperatorum: in quibus examinandis nolo diutius tempus conterere. An ignoras, quarum sint virium huiusmodi leges in rebus Ecclesiasticis? Si tu nescis, ab ijs discendum tibi est, qui docere te possunt. Ego interim non id ago.

Quòd verò caueri ais canone sexto Concilij œcumenici Cõstantinopolitani, ne à diœceseos synodis, atq; à Patriarchis appellare liceat: aut falleris, aut fallis. Statuitur eo canone, vt Ecclesiasticus ordo in causis Episcoporũ seruetur, nimirũ vt causa prius agatur apud Episco-

pos Prouinciæ, deinde apud maiorem illius diœceſeos Synodum; non autem poſt primum iudicium œcumenica Synodus perturbetur, πῶς ἀτιμάσας ὁ διοικήσεως ὑπισχόντας; ſiquidem totius diœceſeos ſynodus negligi videtur, quùm nullâ eius ratione habitâ ad maiora iudicia itur. Nullum de ſummo Pontifice illic verbum, ſatis enim fuit illis patribus, quod vetus conſuetudo, & Concilium Sardicenſe de eo decreuerat. Ceterùm quis in Eccleſia iudiciorum ſeruaretur ordo, ex multis diſcere poteras, præ ceteris ex Hincmaro veſtrate Remorum Archiepiſcopo. Sic enim ſcribit in diſſertatione Lotharij, & Tetbergæ: *ſacris manifeſtatur canonibus, curam eſſe totius Prouinciæ penes Archiepiſcopum, vel primatem, qui Coëpiſcoporum debet noſſe iudicia, de quibus neceſſaria fuerit reclamatio: & in quibus negotium expetierit, debet electos iudices deſignare. Quibus omnibus demonſtratur, quia ſynodus comprouincialium dijudicationes, ſiuè diſſenſiones vel probet, vel corrigat: vt in Africanâ ſynodo demonſtratur, quæ nihil de Hipponenſi Concilio ſtatuit emendandum. Apoſtolica verò Sedes, & comprouincialium, & generalium, retractet, refricet, vel confirmet iudicia, ſicut epiſtolæ Leonis, atq; Gelaſij, ceterorumq; Romanorum Pontificum, & Sardicenſis ſynodus euidenter oſtendunt.*

CAPVT SECVNDVM.

SEXTVM CANONEM NICÆNVM videri mutilum. Tres Patriarchæ primis Ecclesiæ temporibus Explicatus nonus canon Concilij Chalcedonensis. Vnde prærogatiua trium veterum Patriarcharum. Excussus canon sextus Nicænæ synodi. Qui conferantur Romano Pontifici Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ. Quantum antistarent Romani Pontifices Patriarchis Alexandrinis. Nihil officere l. 1. C. de summa Trin. &c. Nec locum Athanasij de syn. Locus Socratis emendatus. In rebus fidei Papa errare nequit. Defensus, & declaratus Nicephorus. Mens canonis in codice Ecclesiæ Africanæ. Vniuersalis appellari solitus Romæ Episcopus. D. Gregorij humilitas. Socratis locus perperam ab Anonymo allatus.

SOLEMNE est sectarijs, quæ illustria sunt & perspicua, dissimulare: ea perquirere, quibus siquid lucis inest, creperum est, atque ambiguum, Vespertilionum more, qui solem lucis fontem die fugiunt, faculas noctu aucupantur. Sunt in manibus Concilia, sunt veteres patres, est vnanimis iam inde ab ortu Christianæ

Reip. consensio, è quibus omnibus elicere nullo negotio Anonyme potes, quæ semper fuerit Romani Pontificis in Ecclesiâ potestas. Tu tamen, vt illam, quam amplissimam offendis, in arctum conijcias, κρυφία consectaris; & veluti dedigneris in ijs exercere vim ingenij, quæ aperta sunt, ad canonem sextum Concilij Nicæni te subducis, quem tuam esse Spartam perinde constituis, quasi varijs interpretationibus frustra exagitatus tuam præcipuè operam desiderarè videatur, tibi vni scilicet datum est, vt rem acu tangas. At quicquid conatus fueris, non propterea id conficies, quod perperam tibi persuades. Mihi sanè haud prorsus diuersa mens in eo canone explicando: verùm longè alius finis, alia collectio.

Lapsum te enormiter esse docuimus superiore capite, dum existimas, Episcopales ditiones ad sæculares præfecturas fuisse omnino conformatas. Id vt fortasse in nonnullis processerit: in eâ quæ Romani Episcopi propria erat, admitti nullo pacto potest. Itáque nihil te iuuat Nicænæ Synodi canon, dum sic loquitur: τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν, ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο συνήθες ἐστιν. ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις. Néque tuam abnuo Latinam versionem, quæ sic habet: *Antiqui mores obtineant, qui sunt in Ægypto, & Libya, & Pentapoli: vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat pote-*

statem, quoniam illa est Romano etiam Episcopo consuetudo. Similiter autem & in Antiochiâ, & in alijs Prouincijs priuilegia seruentur Ecclesijs. Videtur in hoc canone post verba illa τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις, deesse, τῆς μητροπόλεως. Necesse enim fuit apertius enuntiari, quibus Ecclesijs in vnaquaq; prouinciâ primæ partes dandæ essent. Itáque in codice Ecclesiæ Romanæ ea canonis particula ita concepta erat: *& in ceteris prouincijs primatus habeant Ecclesiæ ciuitatum ampliorum:* quemadmodum videre est ex allegatione Paschasini Legati Pontificij in Concilio Chalcedonensi. In codice verò Africanæ Ecclesiæ sic legebatur: *& in ceteris prouincijs priuilegia propria reseruentur Metropolitanis Ecclesijs.* Nisi quis contendat, ideo simpliciter dictũ, Ecclesijs seruanda esse priuilegia, quia & aliæ Ecclesiæ præter Metropolitanas, quibusdam more veteri fruebantur priuilegijs, veluti Hierosolymitana, cuius Episcopus suo Metropolitano in consessus honore præeminebat.

Posthæc, vt canonis sensum in tuam sententiam veluti obtorto collo trahas, nonnulla inculcas magno quodam verborum choragio. Doces siquidem, tres fuisse Episcoporum gradus: è quibus, qui simplici Episcoporum nomine censebantur, ciuitatibus, & parœcijs præfuisse: qui Metropolitani dicebantur, solidas rexisse prouincias, in quibus plures ciuitates, plures Episcopi: qui Exarchi, seu Patriarchæ audiebant, integras sub se diœceses habuisse ἀξίκησις δὲ ἔστι (inquit

Theodorus Balſamo) ἡ πολλὰς ἐπαρχίας ἔχουσα ἐν ἑαυτῇ, *eſt verò diœceſis, quæ multas in ſe comprehendit prouincias*, ac multos propterea Metropolitanos. Obſeruas ſecundo loco, cuilibet ſeu Prouinciæ ſeu diœceſi ſuam fuiſſe Metropolim. Enarras tertiò, quæ forent Ægyptiacæ Diœceſeos prouinciæ. Hæc, quæ tu fuſè, quùm ab alijs iamdudum procuſa fuerint, ſuadere tibi poterant, labori vt parceres. At ambitioſæ oſtentationi indulgere maluiſti, vt quaſdam etiam eruditiunculas inſpergeres, quas te Berterius magnâ ex parte docuit.

Ceterùm, quòd eos appellas ridiculos, qui canone hoc Nicæno tres illos Patriarchas, Romanum, Alexandrinum, Antiochenum conſtitutos arbitrantur, non eſt cur tibi repugnem. Conſtat enim ſuam debere originem antiquiori inſtituto atque adeo ipſis Eccleſiæ cunabulis. Aio tamen non alios eo tempore fuiſſe Patriarchas, ſeu malis Exarchos. Quamquàm, vt verum fatear, ægrè mihi perſuadeo, quenquam Patriarcharum fuiſſe vnquàm Exarchi nomine vocitatũ. Néque ex ijs verbis, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις, elici aliud poſſe videtur, quàm ad ſimilitudinem duorum Exarchorum Alexandrini, & Antiocheni ſua quoq; priuilegia ſeruanda eſſe Metropolitanis, tametſi ſub Patriarchis eſſent: néque enim eo tempore vlli erant αὐτοκέφαλοι, veluti de Archiepiſcopo Cypri iudicatum poſteà fuit in Concilio Chalcedonenſi. Quòd ſi ad minorum etiam Epiſcoporum priuilegia traducendus eſt canon;

satis liquet, in hosce non cadere appellationes illas. Néque obijcias ex Socrate, Metropolitas quosdam Patriarcharum aliquando nomine cohonestatos: quis enim ignorat, honorificas huiusmodi appellationes temere fuisse vsurpatas? Bituricensis Episcopus Patriarcha nuncupatur à Nicolao Papâ, can. conquestus 9. quæst. 3. Magdeburgensis à Benedicto VI. epist. ad Episcopos German. Lugdunensis à Gregorio Turonensi, & Concilio Matisconensi secundo. Adhæsit id nomen Metropolitæ Aquilienſi, & post ipsum Castellano seu Veneto, átque adhuc retinent. Sic interdum etiam minores Episcopi summi Sacerdotes, summíque Pontifices sunt dicti, titulo Romanis Episcopis præ cæteris congruenti. Non te fugit, Episcopum Carthaginiensem plures sub se habuisse prouincias: nunquam tamen reperies, Patriarchæ titulum sibi adsciuisse. Immo cùm Metropolitæ Africani appellari cœpissent *Exarchi Sacerdotum*, vel *summi Sacerdotes*, vetitum id à Concilio Carthaginensi, statutúmque, vt primæ tantùm Cathedræ Episcopi dicerentur. Fuit, quùm crederem Patres Concilij Chalcedonensis, quùm ijs nominibus abuti nollent, Constantinopolitanum Episcopum, qui iam sibi ex pluribus prouincijs diœcesin conflauerat, & secundum locum post Romanum ex ipsorum quóque sententiâ assertum ibat, non tamen fuisse ausos Exarchum appellare. Sic enim loquuntur canone 9. Εἰ δὲ τοιὸς τ τῆς αὐτῆς ἐπαρχίας μητροπολίτου διαιτῶτο, ἢ κληρικὸς ἀμφισβητοίη, καταλειμβανέτω

ἢ τὸν ἔξαρχον τῆς διοικήσεως, ἢ τὸν τῆς Βασιλευούσης Κωνσταντινουπόλεως θρόνον. *Si cum ipsius prouinciæ Metropolitano, Episcopus, vel Clericus controuersiam habeat, diœceseos Exarchum adeat vel Regiæ Vrbis Constantinopolis Sedem.* Eadem aut similia sunt in canone 17. hoc enim pacto canonem interpretabar, vt qui in diœcesi Alexandrinâ essent, Alexandrinum Exarchum: qui in Antiochenâ, Antiochenum: qui in Constantinopolitanâ, Sedem adirent Episcopi Constantinopolitani. Non enim mihi audiendus Hincmarus, existimans, ambitu Episcopi Cõstantinopolitani decreuisse synodum, vti posthabitis aliarum diœceseon Exarchis, adiri ipsius Sedes posset. Cur enim non repugnassent Legati Pontificij cernentes iurisdictionem perturbari aliorum Patriarcharum, quorum auctoritatem, dignitatemq; tam acriter tueri conati sunt aduersus canonem se absentibus decretum? Verùm, si rectè habent verba illa canonis ἢ τὸν ἔξαρχον, ἢ τὸν θρόνον, adeundi alterutrum facultas in eâdem causâ dari videtur. Quamobrem existimo, Exarchi nomine nullum ibidem ex Patriarchis intelligi, sed minorem Patriarchâ Præsulem, Archiepiscopis verò digniorem, vt sentiunt Archidiaconus, & Io. de Turre Cremata ad canon. Si Clericus 11. quæ. 1. quo sensu & multis alijs locis accipi debet, non Patriarcham (vt diximus) intelligi. *Primatem* Latini vocant, qua voce vsi sunt, quùm eundem canonem Latinè reddiderunt. Quin antiquiores Gratiani editiones non *Primatem*, sed *Primates* habent, quod etsi à Græco

textu

textu discrepat, innuit tamen τὸν ἔξαρχον in canone intelligi debere aliquem ex primatibus sub Patriarchâ Constantinopolitano constitutis, qui ad minimum tres erant, Cæsareensis, Ephesinus & Heracleensis. Iam enim subiecerant se Constantinopolitano Episcopo tres illæ diœceses Thracia, Asiana, & Pontica, quæ singulæ plures in se prouincias habebant, Thracia sex, Asiana decem, Pontica vndecim, vt in Notitiâ Imperij videre est. De hisce primatibus sic loquitur Curopalates, μητροπολίτης Καισαρείας Καππαδοκίας τῶν ἁγιωτάτων, καὶ ἔξαρχος πάσης Ἀνατολῆς· ὁ Ἐφέσου, τῶν ἁγιωτάτων, καὶ ἔξαρχος πάσης Ἀσίας· ὁ Ἡρακλείας, πρόεδρος τῶν ἁγιωτάτων, καὶ ἔξαρχος πάσης Θρᾴκης, καὶ Μακεδονίας. *Metropolitanus Cæsareæ Cappadociæ honoratissimorum honoratissimus, & totius Orientis Exarchus; Metropolitanus Ephesi, honoratissimus, & totius Asiæ Exarchus: Metropolitanus Heracleæ honoratissimorum Antistes, totius Thraciæ, ac Macedoniæ Exarchus.* Ambitiosius tamen appellatur Cæsarienſis Antistes *totius Orientis Exarchus*, quùm Primas solùm esset Ponticæ diœceseos. Itáque canon Chalcedonensis de Patriarchatu solũ Constantinopolitano loquitur, quod & innuit Nicolaus Pontifex in epistolâ ad Michaëlem Imperatorẽ. Neq; id mirũ, quùm & nonnulli præterea canones eiusdem Concilij ad Ecclesiam tantummodo Constantinopolitanam referri possint. Quin ex verbis Ætij Archidiaconi Constantinopolitani, Act. decimâ sextâ relatis, liquidò apparet, magnam illorum canonum partem ad eandem Ecclesiam pertinuisse.

Tres Episcopi, Romanus, Alexandrinus, Antiochenus dici Patriarchæ cæperunt, non tam quia solidas sub se haberent diœceses ex pluribus prouincijs constitutas, quàm quia tres illæ Sedes trium primarum Vrbium ab ipso Apostolorum coryphæo D. Petro positæ fuerant. Atque vt Apostoli, & qui sũbsequuti sunt veteres Patres, in Ecclesiâ ordinandâ ad cælestia potius sese conformarunt, veluti ad Angelicas Hierarchias, vt D. Gregorius considerabat epist. 52. lib. 4. quàm ad sæculares Præfecturas, quod tu somniabas; ita nihil magis horrebant, quàm scissuras. Quamobrem diuiso quantumuis Romano imperio, vna eadémque remansit in toto orbe Ecclesia, *Episcopatus vnus* (vt D. Cyprianus aiebat) *cuius à singulis in solidum pars tenetur.* Quemadmodum vnus est Deus omnia complens. Symmachus Papa ad Eonium: *quùm ad Trinitatis instar, cui vna est, atque indiuidua potestas, vnum sit per diuersos Antistites Sacerdotium. &c.* Quin tribus illis maximarum ciuitatum Episcopatibus mysterium sanctissimæ Trinitatis (quà licebat) exprimere conati sunt. Vt enim Deus vnus est, tribus tamen personis distinctus: ita vna intelligebatur Petri Sedes tribus in ciuitatibus collocata. Audi D. Gregorium lib. 6. epist. 37. *Quùm multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum Principis Sedes in auctoritate conualuit, quæ in tribus locis vnius est. Ipse enim sublimauit Sedem, in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decorauit Sedem, in quam Euangelistam discipulum misit.*

Ipse firmauit Sedem, in qua septem annis quamuis discessurus sedit. Quùm ergo vnius atq; vna sit Sedes, cui ex auctoritate diuina tres nunc Episcopi præsident, quicquid de vobis boni audio, mihi imputo. Hinc igitur fluxit trium Sedium præcipuus honor: sed quò magis vnitàs seruari posset, vni danda erat *exors quædam* (vt loquitur Hieronymus contra Luciferianos) *& ab omnibus eminens potestas.* Vnde factum, vt tam Antiochenus quàm Alexandrinus Episcopi vnum verticem agnoscerent Romanum Pontificem, ad quem, & ab ipsis prouocarent Episcopi, Clericíque, quùm opus foret, & ijdem ipsi à Concilijs appellarent; quemadmodum & ceterarum Ecclesiarum Antistites semper fecerunt. Non est in obscuro quod D. Athanasio accidit, quod D. Ioanni Chrysostomo, alijsque. Hincmarus Remensis lib. aduers. Episc Laudunen. *Licet harum Ecclesiarum, Alexandrinæ scilicet, & Antiochenæ Præsules, B. Petri Sedes tenere se cognoscant, quòd & Romani Pontifices attestantur: non tamen subditas eas dem Sedes Romanæ Sedi denegant, nec ipsi Romano Pontifici subdi modo quolibet dedignantur.* Eapropter Nicæni Patres diœceseôn terminos antiquitùs positos solidare volentes, de speciali Romani Episcopi diœcesi nihil proferre sunt ausi, sed eius exemplum ὡς ἀπὸ τοῦ ἀρχετύπου ceteris proposuerunt, ac si pluribus dixissent. *Quoniam Romanus Episcopus in peculiari sua diœcesi veterem Ecclesiæ morem seruat, vt ἐξουσίαν solus habeat* (puta in creatione Metropolitanorum, eorúmque causis cognoscendis, in vocandâ vniuersali diœceseos synodo, alijsq;

huiuſmodi) *æquum eſt, vt idem quoque obſeruetur in Alexandrina diœceſi: nimirum, vt eius Epiſcopus ſimilem poteſtatem ſolus habeat in Ægypto, & Libya, & Pentapoli, quæ regiones antiquo itidem Eccleſiæ more in eius ſunt diœceſi. Antiochena quoque Metropolis, ac ceterarum prouinciarum Eccleſiæ ſuis fruantur priuilegijs, quæ ex antiqua pariter conſuetudine obtinent.* A te quoque alijs verbis propoſita eſt canonis huius ſententia, ſed vter meliori fide id præſtiterit, veſtrum appello iudicium,

Fidem qui maximi facitis, & quos fides.

Habenda profectò fuit ratio particulæ illius ἐπεὶδὴ, quæ indicat, ideò cenſuiſſe Nicænos patres, tuenda eſſe priuilegia Patriarchis, & Metropolitanis antiquitus tradita, quia videbant ea præcipuè ſeruari in diœceſi Romanâ. Itáque Romanus Epiſcopus exemplo ceteris præit, neq; propterea colligendum tibi eſt, reliquos Epiſcopos ei per omnia ſimiles eſſe: nam in quibuſdam quis abnuat? Ad ordinem quod attinet, Epiſcopi omnes pares ſunt. Quoad dignitatem, & regiminis rationem, pleríque diſcrepant. Quùm ex veteri Eccleſię inſtituto ſingulis Vrbibus ſinguli Epiſcopi præfecti ſint, eâ in re conferri vnuſquiſq; Epiſcopus Romano poteſt: tam enim Tiburtinus Epiſcopus Tiburi præeſt, quàm Romanus Romæ, quàm Pariſienſis Pariſijs. Si Metropoleôn iura inſpicias, non tum poteris Pariſienſem Romano comparare. Senonenſem poteris, etenim tam is, quàm ille prouinciam habet, in qua plures ciuitates, plures Epiſcopi. Quod ſi integram diœceſim

consideres, non amplius Senonensem Romano Episcopo similem dixeris, quia vnicam tantùm ille prouinciam habet, plures Romanus in suâ speciali diœcesi. Proinde maior Episcopus quærendus est, qui hac in parte illi æquetur. Erit is exempli gratiâ Alexandrinus, cui plures sunt Metropolitani in suâ diœcesi veluti Romano in suâ. At si summam spectes Romani Pontificis in Ecclesias omnes potestatem, iam reperies neminem, quem illi componas. Est enim ille Petri successor, cui vni Dominus suas oues pascendas commisit, quarum gregem non vnius Vrbis septis, non vnius prouinciæ limitibus, non vnius diœceseos finibus concludi, sed per quascumq; terras sol circumfertur, diffusum esse nosti. τῷ Πέτρῳ (inquit Chrysostomus ad cap. 21. Ioann.) τὴν προστασίαν τῶν τῆς οἰκουμένης προβάτων ἐγχειρίζει. *Petro præfecturam ouium totius terrarum orbis tradit.* Ex quibus perspicere iam licet, quænam ἰσοτιμία Episcopo Alexãdrino tribuenda est. Nam quæ pro tuâ sententiâ in medium affers, friuola esse fatebitur quilibet, quem intemperiæ non tenent. Vbi legimus in l. 1. C. de summa Trin. & fi. cath. *Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit temperamentum, in tali volumus religione versari, quam diuinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis religio vsq; nunc ab ipso insinuata declarat: quamq; Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum virum Apostolicæ sanctitatis, &c.* Si Theodosius Imperator loco illorum verborum, *Petrum Alexandriæ Episcopum*, posuisset *Hieronymum Sacerdotem*, an tu il-

lum reprehenſioni cenſeres obnoxium ? Non puto : nam Hieronymus æquè ac Petrus Alexandrinus catholicam religionem retinebat, tuebaturq;, ſed nec minus vir dici poterat Apoſtolicæ ſanctitatis. Haud reor tamen auſum te eſſe (quamquam homo ſis confidentiſſimus) parem Damaſo Hieronymum facere, qui nec Epiſcopus erat. Igitur nec Petrus Alexandrinus Romano Damaſo ἰσότιμος penitus dici poterat. Néque id ſomniauit D. Hieronymus, quùm in epiſt.ad Marcum Preſbyterum eius ſe fidei eſſe profitebatur, quam probari nouerat à Damaſo Romano Pontifice, & Petro Epiſcopo Alexandrino. Si quis dixerit, te cum nullo ex orthodoxis Epiſcopis communicare, propterea quòd ij fidem illam retinent, quam Petrus Apoſtolus docuit, rectè is quidem loquetur, nec tamen cenſendus erit, pares propterea facere Epiſcopos omnes, quos tu etiam fateris alios alijs maiores: præſtare ſiquidem Metropolitanos Epiſcopis, Patriarchas, & Primates ipſis Metropolitanis. Sic vides à Theodoſio Imperatore in l. 3. Cod. Theod. de fide Cathol. complures nominari Epiſcopos in prouincijs Orientalibus integræ, ac ſpectatæ fidei, quibus qui communione iungerentur, eos haberi Catholicos, & Eccleſijs præfici volebat. At quis ſanus inde colliget, pari honore ac poteſtate Epiſcopos illos fuiſſe ? Quùm etiam ſcribebat D. Auguſtinus lib. 2. contra Petilian. cap. 51. *Cathedra tibi quid fecit Romanæ Eccleſiæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet : vel Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, in*

qua Jacobus sedit, & in qua hodie Ioannes sedet; quibus nos in Catholicâ vnitate connectimur, & à quibus vos nefario furore separatis? Noluit sanè vir sanctissimus, & prudens Romano æquare Episcopum Hierosolymitanum, quem sciebat Cæsarienſi subesse, Cæsarienſem Antiocheno. An etiam arbitraberis Cælestinum Romanum Pontificem præiudicium in se generasse, quùm in epistolâ ita alloquutus est Nestorium: *apertè igitur hanc nostram esse scias sententiam, vt nisi de Christo Deo nostro ea prædices, quæ Romana, & Alexandrina, & vniuersalis Ecclesia tenet, &c.* quæ propemodum verba, & in eiusdem Epistolis ad Cyrillum Alexandrinum, atque ad Ioannem Antiochenum Episcopum extant. Sanè verò cuíque obuium est, post diuisum imperium nominari passim consueuisse Orientalem atque Occidentalem Ecclesias; tametsi vna esset, atque eadem Ecclesia, vnus supremus eius secundum Christũ rector Romanus Pontifex. Porrò quùm præcipuus censeretur inter Orientales Episcopus Alexandrinus, qui loco saltem Antiochenum vincebat, hiscè verbis non dubitauit vti D. Hier. Apol. 2. in Rufinum: *omittamus hæreticorum patrocinium, & nulla erit inter nos contentio. Eodem feruore, quo Origenem ante laudauimus, nunc damnatum toto orbe damnemus. Iungamus dexteras, animos copulemus, & duos Orientis & Occidentis* Θεοφόρους *alacres sequamur.* Intelligit verò Anastasium Romanum Pontificem, & Theophilum Episcopum Alexandrinum. Idem Hieronymus in libro de scrip. Eccles. ita loquitur de Marcello Ancy-

rano Epiſcopo. Porrò ille defendit ſe non eſſe eius dogmatis, cuius accuſatur, ſed communione Iulij, & Athanaſij Romanæ & Alexandrinæ Vrbis Pontificum ſe eſſe munitum. Atque vt agnoſcas, quantum præſtiterit Damaſus Petro Alexandrino, reuocandum in memoriam tibi eſt, eundem Petrum è ſuâ ſede proturbatum ad Damaſum confugiſſe, cuius poſtea auctoritate ſuæ Eccleſiæ fuit reſtitutus. Rem enarrat Socrates lib. 4. cap. 30. ijs verbis. κατὰ δὲ τὸν χρόνον τοῦτον, τοῦ βασιλέως Οὐαλέντος ἐκ τῆς Ἀντιοχείας ἀναχωρήσαντος, ἀνερρώννυντο οἱ πανταχοῦ ἐλαυνόμενοι, καὶ μάλιστα οἱ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ. Πέτρου τε ἐπανελθόντος ἀπὸ τῆς Ῥώμης μετὰ γραμμάτων Δαμάσου τοῦ Ῥώμης ἐπισκόπου βεβαιούντων τὴν ὁμοουσίαν (sic legendum, non Μωϋσέως, vt habet vulgata recenſq; editio Colonienſis, quæ & interpreti impoſuit vertenti Moſis) πίστιν, καὶ τὴν τοῦ Πέτρου κατάστασιν· ἀναθαρρήσας οὖν ὁ λαὸς, τὸν μὲν Λούκιον ἐξελαύνουσιν· ἀποτεισάγουσι δὲ τὸν Πέτρον; *Per id tempus, ſimulátque Valens Imp. Antiochiâ deceſſerat; omnes, qui vbique perſequutionis tempore iactabantur, & Alexandriæ potiſſimum, magnopere recreati fuerunt: propterea quod Petrus Româ eò reuerſus erat cum Damaſi Epiſcopi Romani litteris, quæ quidem & homouſij fidem confirmabant, & Petri creationem; populus illis confiſus expellit Lucium, Petrum autem in eius locum introducit.* Dum autem Romæ Petrus commoraretur, Synodo interfuit, qua Apollinaris hæreſis in Oriente exorta damnata eſt. Vnde factum, vt quanquã Damaſo damnationem illam deferat D. Baſilius epiſt. 74. ab vtróque tamen emanaſſe tradat Sozomenus lib. 6. cap. 25.

6. cap. 25. atque ex eo potissimum suspicari possumus, permotum fuisse Theodosium, vt eum Damaso in sua illa constitutione coniungeret.

Quod profers ex Athanasio lib. de Synod. Paulum Samosatensem à duobus Dionysijs, Romano, & Alexandrino Episcopis condemnatum, frustra conaris æquam prærogatiuam Alexandrino tribuere. Mos erat eo tempore, vt primarum Vrbium Episcopi iudicium quidem de hæreticis ferrent, à quibus suas ipsorum diœceses perturbari cernerent, sed præiudicium eâ in re sequuti Romani Pontificis. Id mouit eundem Dionysium Alexandrinum, vt certiorem faceret Stephanum Episcopum Romanum de Sabellianâ sectâ, vt legere est apud Eusebium lib. 7. cap. 5. Meminisse potes, Pelagianam hæresim à multis damnatam, sed primùm à Romanâ Sede in Iouiniano. S. Prosper lib. de Ingratis:

——— *pestem subeuntem prima recîdit*
Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta caput mundo, &c. ———

qua de re videndus est D. Augustinus lib. 2. retract. cap. 20. Idem in alijs præstitum: sed & quùm sectarios mulctarent prauâ ac iam damnatâ opinione infectos, significare id consueuerât Romano Pōtifici. Itáque obiurgauit Leo Flauianum Episcopum Constantinopolitanum, perinde atque id neglexisset in causâ Eutychetis: *Miramur* (inquit) *fraternitatem tuam, quicquid illud scandali fuit, nobis silere potuisse, & non potius procurasse, vt*

primitùs nos insinuatio magis tuæ relationis instrueret. &c. & in litteris ad Theodosium Imp. *Ad prædictum autem Episcopum dedi litteras, quibus mihi displicere cognosceret, quòd ea quæ in tantâ causâ gesta fuerant, etiam nunc silentio reticeret, quùm studere debuerit primitùs nobis cuncta referare.* Verè tamen suo non defuerat Flauianus officio, sed litteræ nondùm ad Pontificis manus peruenerant. Quid enim vir sanctus veterem morem contempsisset? Eius moris meminit Cyrillus, quùm Cælestinum Papam certum faceret de Nestorij hæresi, τὰ μακρὰ (inquit) τῶν ἐκκλησιῶν ἔθη πείθουσιν αἰδεκοινώνητα τῇ σῇ ὁσιότητι. *Longa Ecclesiarum consuetudo suadet vt* [res eiusmodi] *sanctitati tuæ communicentur.* Quin vt planè perspicias, in fidei rebus ac religionis solitos fuisse Episcopos normam sumere à Sede Apostolicâ, verba perpende ipsius Cyrilli de Nestorio agentis ad eundem Cælestinum, quæ sic habent: ὑ πρότερον δὲ τῆς πρὸς αὐτὸν κοινωνίας ἐκβάλλομεν ἑαυτοὺς μὴ παῤῥησίας, πρὶν αὐ ταῦτα τῇ σῇ θεοσεβείᾳ δηλοποιήσωμεν. δίῃ δὴ καταξίωσον τυπῶσαι τὸ δοκοῦν, καὶ πρότερόν ποτε χρὴ κοινωνεῖν αὐτῷ, ἢ λοιπὸν ἀποφαίνειν μὴ παῤῥησίας, ὅτι ταῦτα φρονοῦντι, καὶ διδάσκοντι ὀρθὴν κοινωνεῖ, *non prius eius abijcere communionem ausi sumus, quàm hæc ipsa tuæ pietati indicaremus. Digneris propterea quid hîc sentias declarare, vtrum communicare cum illo nos oporteat, an liberè eidem denunciare, neminem esse communicandum cum homine erroneam huiusmodi doctrinam fouente, ac prædicante.* An non præerat Cyrillus Alexandrinæ Ecclesiæ, quæ vtique prima erat inter Orientales? Cur ergo formam sibi præscribi poscit

in causâ Nestorij, nisi quia optimè callebat, ad summum totius Ecclesiæ Præsidem id spectare? Illi datum à Christo norat, vti fratres confirmaret, vt propterea hæretici nullo pacto sint habendi, quorum ea Sedes fidem non improbat, vbi certior de illâ sit facta. Id etiam palàm fit ex Gregorio Nazianzeno ep. 2. ad Cled. dùm loquitur de Apollinaristis, qui se in communionem susceptos asserebant à Romano Episcopo, eiúsque diœceseos Synodo. ἀμόνον δι, ἀλλ' ὅτι καὶ ὑπὸ τ δυτικῆς συνόδ δεδέχθαι φασὶν, ὡς πιωθάνομαι, ὑφ' ἧς τὸ πρότερον ἦσθμ κατακριτες, ὡς πᾶσιν δῆλον. Εἰ μὲν δὴ δεδέχθησθμ ἢ νδν ἢ πρότερον οἱ παὶ Ἀπολιναρίου φρονδντες τῦτο δξατωσθμ, καὶ ἡμεῖς τέρξωμεν· δῆλον γὰρ ὅτι ὀρθῷ λόγῳ συνθέμενοι. εἰ δὲ ὑδέχεται ἄλλως, εἰ τότ τετυχήκασι. *Illud etiam indignitatis accedit, quòd ab Occidentali Synodo sese (vt audio) susceptos esse affirmant, à qua fuisse prius condemnatos, nemini est obscurum. Quòd si vel nunc, vel ante susceptisunt, qui cum Apollinare sentiunt, hoc ostendant, & nos acquiescemus. Perspicuum enim erit, eos rectæ doctrinæ assentiri (nec enim aliter se res habere potest) si hoc consequuti sunt.* Simile quid prolatum de Pelagio videmus à Patribus Concilij Carthaginiensis in Synodicâ epistolâ ad Innocentium Papam. Vide & 90. epist. D. Augustini. En tibi igitur, quàm vera habita semper fuit sententia, in rebus fidei statuendis non posse Papam à rectâ semitâ deflectere sed quicquid ipse decreuerit, à reliquâ Ecclesiâ tanquam regulam minimè aberrantem excipiendum esse. Quàm se esse infra Romanum Episcopum

Alexandrinus cognoſceret, ex eo quóque patere poteſt, quòd Cyrillus aiebat, meruiſſe quidem Neſtorium Conſtantinopolitanum, vt anathemate feriretur quicúnque Mariã Deiparam negaret, quemadmodum inſanus ille anathema ijs dixerat, qui Deiparam fatebantur: ἀλλ' ὅ (ſubdit) πεποίηκα τοῦτο δι' αὐτὸν τέως, ἵνα μὴ λέγωσί τινες, ὅτι αἰσθάνεται αὐτοῦ ὁ Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπος, ἢ τι ἡ σύνοδος ἡ Αἰγυπτιακή, *verùm id hactenus facere propterea nolui, ne ſint qui dicant, Epiſcopum Alexandrinum, Ægyptiámve Synodum anathematis ſententiam in ipſum* [Neſtorium] *tuliſſe.* Vide Concil. Epheſ. par. 1. cap. 10. Nimirum id eſſe munus ſciebat Romani Pontificis: à quo poſtea, quùm auctoritatem accepiſſet damnandi Neſtorium, non amplius id exequi dubitauit, vti ex actis Concilij Epheſini conſtat. In cuius primâ parte cap. 26. extat eiuſdem Epiſtola, quâ Neſtorium damnat ex præſcripto Romani Pontificis. In eodem Concilio, quùm vicariam operam Cæleſtini loco præberet Cyrillus, vt ſe honore auctum oſtenderet, Pontificalibus ornamentis indutus præſedit, mitrâ præcipuè, quâ Romanus Pontifex vti conſueuerat; quemadmodum meminêre Theodorus Balſamo in notis ad Photij Nomocanonem, & Nicephorus hiſtoriarum lib. 14. cap. 34. qui addit, Alexandrinum Epiſcopum ex eo tempore Papæ cognomento decoratum, & iudicem etiam totius Orbis dictum. De Papæ præſertim appellatione non putat Baronius, alijq; aſſentiendum eſſe Nicephoro, quòd id nomen ceteris quóque Epiſcopis tribui ſo-

litum esset. Haud equidem reperio, spectosis huiusmodi nominibus Cyrillum ipsum vsum esse: nec forsitan successores eius per aliquot annorum curricula. Non id tamen existimem confictum à Nicephoro, sed ex antiquioribus monumentis hausturn, aut per manus traditum, neque Nicephori narrationem tam facilè renuendam censeo: nam quòd Papæ nomenclatura tribueretur passim Episcopis, verum id quidem erat apud Latinos; apud Græcos nunquam factum aio: quin & à Latinis ipsis, quùm simpliciter nullóque additamento appositò id nomen enuntiaretur, designabatur κατ' ἐξοχὴν Romanus Antistes, cui postea tanquam propria appellatio adhæsit. Eâ significatione vsurpatum non semel cernimus in Toletano Concilio anno 400. necnon apud Prosperũ, alioſq; quorũ testimonijs superſedeo, rem omnibus exploratam esse autumans. Vtiq; fatetur Nicephorus, titulos illos accessisse Cyrillo, non aliam ob rem, quàm ob Vicarij munus ei paulisper à Papâ demandatum, inde ad successores manasse. Ac videmus sanè in inscriptione epigrammatis 16. lib. 3. Antholog. Hierosolymitanum Episcopum vocari Patriarcham, Alexandrinum verò Papam. Inscriptio sic habet. Σωφρονίῳ Πατριάρχῃ Ἱεροσολύμων, εἰς τὸν πάπαν Ἰωάννην Πάπα Ἀλεξανδρείας. Id moris retinent Alexandrini Antistites ad hanc vsque diem. Vidi nuper diploma Meletij Alexandrini Patriarchæ, eius, qui nunc in viuis est, Antecessoris, datum tertio Idus Iunias 1598. cum eâ superscriptione Μελέτιος ἐλέῳ θεῷ, Πάπας, καὶ

Πατριάρχης τ μεγάλης πόλεος Αλεξανδρείας, καὶ κριτὴς τ οἰκουμένης.

Nunc exemplum addamus de Dionysio illo Alexandrino, quem tu parem statuis Romæ Episcopo, propterea quòd Samosatensis ab vtróque fuerit damnatione affectus. An te clam est, Dionysium eundem accusatum olim, quod prauè sentiret de diuinis personis, causam suam egisse apud Romanum Pontificem? Id te docere poterit D. Athanasius lib. de sent. Dionysij, & facilè hinc perspicies, nisi mentis cæcitate penitus laboras, parine fuerint auctoritate, an alter altero maior.

Adhuc tamen instas, & futilibus argumentis tuæ hallucinationi (ne quid asperius dicam) indulges. Verba illa affers ex Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ: *Placuit, vt de dissentione Romanæ atque Alexandrinæ Ecclesiæ ad sanctum Papam Innocentium scribatur, quò vtráque Ecclesia intra se pacem, quam præcepit Dominus, teneat.* Quasi qui Romanæ Ecclesiæ conciliare studeret Ecclesias Britannicas, quę se schismate primùm, deinde hæreseos quóque crimine alienas fecerunt, dicendus esset, pares illas facere honore, ac primatu. Innocentius Romanus Pontifex iratus Theophilo Episcopo Alexandrino ob res iniquè gestas in Chrysostomum, ab eius communione abstinebat, qua de re & idem Innocentius epist. 18. & Theodorus Diaconus apud Palladium in dialog. Africani Patres paci Ecclesię studentes, quid aliud tum facere decreuerunt, nisi ab Inno-

centio petere, vti reciperet Theophilum in communionem? nunquid se vtríque scripturos decreuerunt, an Innocentio solùm? Huic vtíque cuius animus flectendus erat, vt Theophilo ignosceret. Inde liquet, nequaquàm illos æquiparari. Non id Africani Episcopi ne per somnium quidem cogitarunt, non ipse Theophilus. Tu maximus ille es post tot sæcula, qui nodum in scirpo inueniſti; & ausus es præterea cum perditis hominibus superbiæ insimulare Pontifices Romanos, nimirum quia suo funguntur officio, quia primatum suum tuentur. Quis à fastu longius abfuit, quàm D. Gregorius Papa, qui etiam *Vniuersalis* titulum renuebat, quo cæteros Episcopos Ioannem præsertim Constantinopolitanum suo ipsius exemplo animi demissionem doceret? Res est cuíque obuia ex eiusdem epistolis, alijsque scriptoribus. Quanquàm quis ignorat, eâ appellatione insigniri solitos Pontifices Romanos? Hunc morem præter cetera aperiunt oblati libelli Concilio Chalcedonensi, cùm ab Athanasio presbytero Alexandriæ, tum à Theodoro, & Ischirione Diaconis, nec non à Sophronio, qui nec Clericus erat. Singulæ eorum inscriptiones hoc, simílive pacto conceptæ sunt: τῷ ἁγιωτάτῳ, καὶ θεοφιλεστάτῳ οἰκουμενικῷ ἀρχιεπισκόπῳ, καὶ Πατριάρχῃ τῆς μεγάλης Ρώμης Λέοντι, ἐν τῇ ἁγίᾳ, καὶ οἰκουμενικῇ συνόδῳ. &c. Vt prorsus appareat solemne fuisse, tàm Romanum Pontificem, quàm Synodum ipsam *Vniuersalem* appellare. Ille, inquam, Gregorius Christianâ humilitate maximè conspicuus

eam formulam *Seruus ſeruorum Dei*, in diplomatibus vſurpare frequenter cœpit, quam ſubſequuti Pōtifices auidè arripuerūt,& mordicùs retinent. Eò tamen confidētiæ proceſſère audaculi quidam homines è veſtrâ ſectâ, vt dicerent formulam huiuſmodi ſuperbiæ notam eſſe. vt iá minus mirer tuam impudētiam, quâ debaccharis ſimili ratione in Romanam Sedem, ac tam egregio corollario caput hoc claudis. Affers ſiquidem verba quædam ex libro 7. cap. 11. hiſtoriæ Eccleſiaſt. Socratis, quibus ille aiebat Romanam Eccleſiam, vt & Alexandrinam, vltra Sacerdotij fines ad Magiſtratus formam fuiſſe iampridem prouectas. Quod legimus apud Socratem ἐπὶ δυναστείαν, tu Latinè reddis, *ad ſæcularem principatum*, ac duos conaris dealbare parietes ex eâdem fideliâ; ſed veriùs te ipſum fœdatum ibis. Videris primùm Socratis dictum ad tuam ſententiam pertrahere, quâ æquam dignitatem tribuis Eccleſiæ Romanæ, & Alexandrinæ. Quæ ſanè argumentatio ridicula eſt: quis enim pares dignitate conſtitui cenſeat, qui aliquâ in re vltra ſuos ſe fines proferre dicantur? Innuis deinde, quod ſuprà demonſtrare conatus es, ſæcularem typhum ab Epiſcopo Romano, quemadmodum & ab Alexandrino in Eccleſiam fuiſſe inductum. Sed planè noſſe poteras, non loqui illic Socratem de ſollicitudine Romani Pontificis in omnes diœceſes. Queritur enim, quòd is Pontifex Nouatianis Eccleſias abſtuliſſet, quas Romæ habebant. Vrebat nimirum hominem, quòd male habiti eſſent ſuæ fidei ſocij (etenim obſcurum

obscurum esse nemini autumo ex Nicephoro, alijsq; fuisse Socratem Nouatianæ sectæ addictum) ac non id à Pontificis auctoritate, sed à potestate sæculari profectum maluisset: solemni hæreticorum more, qui nullum penes Ecclesiasticos Præsides tribunal esse vellent. Tibi verò lepido viro *elegans admodum hic Socratis locus* dicitur, ne Nouatiani inuiderent Arrianis, quorum arrogantiam prauámque mentem tibi probari, supra ostendimus; scilicet (vt sorices faciunt) tuo te indicio prodis; tuáque (aut fallor) sententia esset, vti Ecclesia permitteret, hæreticorum sordes inter Catholicorum puras animas versari. Quòd Pontificum vigilantia id prohibeat, ægrè tibi est; quemadmodum Samaritanis fuit, quòd Christus malos Dæmonas è corporibus obsessis, è regionibus ipsorum inimmundas vetitásque eo tempore animantes exigeret.

CAPVT TERTIVM.

RVFINI OBSCVRITAS, ET LIcentia. Eius locus de Eccleſijs Suburbicarijs explicatus, & emendatus. Vrbicus Epiſcopus, Vrbici Magiſtratus, alia id genus. Schiſmatici variè relegabantur. Italia ſpecialiter dicta. Non id ante Conſtantinum. Patefactum apud Socratem mendum, ingeſtáque correctio. Euſebius declaratur. Mediolanum quomodo Metropolis Italiæ. Epiſcopi Mediolanenſis, & Aquileienſis à Romano ordinari ſoliti. Primates in diœceſi Epiſcopi Romani. Canoni Conc. Taurinenſis lux data. De Priſcillianiſtis expenſa Sulpitij verba Gratianus notatus. Amplitudo prouinciæ Archiepiſcopi Mediolanenſis. Venetiarum prouincia. Venetiarum ciuitas. Litteræ ad Rom. Pontificem datæ, & ad eius diœceſeos Epiſcopos. Natalis Pontificum.

GENVINAM te attuliſſe firmaſſeq; mentem Nicæni canonis ſexti aſſeris, quia in exemplum vocari peculiarem Epiſcopi Romani diœceſim docuiſti: an non id docuit prior Berterius, alijq;? Atq; vt ſchiſmaticos Græcos omittam, qui canones interpretati ſunt, an non eadem eſt interpretatio Hincmari Remenſis Archiepiſ-

copi in sextâ epistolâ ad suæ prouinciæ Episcopos? Qui quidem Hincmarus octingentesimo circiter ab hinc anno inter viuos erat. Quis verò negat, propriam fuisse Romano Episcopo diœcesim? Fatentur hoc Catholici; sed non id colligunt, quod hæretici, eius potestatem hosce fines siue latos, siue angustos haud quaquàm egressam. Eius opinionis vanitatem suprà patefecimus, sed & mox aliquid dicendum erit. Nunc examinandum, nùm ea fuerit Romani Patriarchæ diœcesis, quam tu stetisse dicis intra lapidem centesimum, hoc est, non exiuisse angustias Suburbicariarum Regionum. Tuæ sententiæ fundum statuis Rufinum, qui canonem Sextum Nicæni Concilij, compendiosis, suisque hoc est obscuris verbis refert. Eam mox conuallare niteris coniecturis quibusdam adeò leuiculis, vt diflari tanquàm tenuissimæ plumæ queant. Verba Rufini ex libro 2. historiæ Ecclesiast. ea sunt: *Vt apud Alexandriam, & in Vrbe Romanâ vetusta consuetudo seruetur, vt vel ille Ægypti, vel hic Suburbicariarum Ecclesiarum solicitudinem gerat.* Quanquam non ego Rufini auctoritatem in hac parte omni exceptione maiorem dixerim, vt tu facis, minimè tamen illorum accedo sententiæ, qui aut consultum mendacium illi tribuunt, aut hallucinationem. Cur enim lapsus in re eo tempore apertissimâ? Aut quæ frons homini fuisset vt aduersus perspicuam veritatem deridiculo esse vellet? Si pro verbis illis *Suburbicariarum Ecclesiarum*, scriptum esset *Suburbicariarum Regionum*, vel *Ec-*

cleſiarum, quæ in Suburbicarijs Regionibus ſunt, nihil me remoraretur, quominus cum illis ſentirem. Nunc iniquior Rufino eſſe abnuo, quàm meretur. Meretur autem, vt ipſum ſuo more tenebricoſâ loquutione vſum dicam. An non id illi vitio vertit D. Hieronymus? *Ego* (inquit Apolog. 1.) *ſcripta tua relegens, quanquàm interdum non intelligam quid loquaris, & Heraclitum me legere putem; tamen nõ doleo, nec me pœnitet tarditatis, id enim in legendo patior, quod tu pateris in ſcribendo.* Ac ne longius abeamus, quàm tibi elegans per tuam fidem is loquendi modus videtur, vbi pronomen *ille* enuntiatur nullo prius poſito nomine, quod referat, cuiuſq; vices id pronomen gerat? Qui enim ſunt *ille*, & *ille* apud Rufinum, quùm Alexandriam tantùm, Vrbémque Romam nominaſſet? An dices non ægrè intelligi earum Vrbium Epiſcopos? Non id inficior. Sed verò aio, hominem (poeticè neſcio, an ænigmaticè) ſecùs certè loquutum eſſe, atque loqui oportuit. Quod ideò notandum duxi, quia tu ſermonis in eo elegantiam, & proprietatem laudare non dubitas. Sed vt ad vocem, qua de controuerſia eſt, redeamus, proclive mihi fuit diuinare, nil aliud eſſe Rufino *Eccleſias Suburbicarias*, quàm *Eccleſias quæ ſub Vrbico Epiſcopo ſunt.* Iam te non fugit, *Vrbicum* Epiſcopum dictum eſſe à Paulino epiſt. 1. Romanum Pontificem. Sed & Paulino antiquior Optatus Afer *Zephyrinum Vrbicum* appellat lib. 1. Qui & Romæ Epiſcopus & Romanus origine fuerat. Sic Confeſſores, & Clericos *Vrbicos* no-

minat D. Cyprianus epist. 40. Editionis Pamelianæ, Romanos intelligens. Vrbicos Magistratus Suetonius August. cap. 46. Vrbica negotia, Vlpianus l. 51. D. de administ. & peric. Vrbicos Pistores, & Vrbica ministeria Paul. l. vlt. de excusat. l. 4. §. si ita, de penu. legata. Quin & Honorius Imp. in rescripto ad Symmachum, Episcopatum Romanum *Vrbanum Sacerdotium* vocat. Quid iuris Rufinus sibi sumpserit in vertendâ Eusebij historiâ, nemini est obscurum: siquidem minimè seruauit (vt aiebat Gelasius Cyzicenus lib. 1. Hist. Conc. Nicæni) κατ' πάξιν τῶν ἀνωλυθίαν, καὶ τῶν τῆς ἀληθείας ἀκριβείαν. An censeamus fuisse illum circumspectiorem in reddendo Nicæno canone, quem paucis perstringere voluit? Diœcesim Episcopi Alexandrini, qua canon ipse comprehendi dixit Ægyptum, Lybiam, Pentapolim, Rufinus sat habuit indicare *Ægypti* voce generaliter acceptâ; quod scio & ab alijs factitatum. At Romanam diœcesim nouo atque eleganti (vt ipsi videbatur) vocabulo exprimere amauit. Nam quemadmodum *Suburbicarias Regiones* dici tu existimas, quæ ad Vrbis, hoc est Romæ iurisdictionem, seu præfecturam præcipuè pertinebant; ita non ille se absurdè loquuturum existimauit, si diœcesim Episcopi Romani, quantumuis latissimè pateret, *Suburbicarias Ecclesias* appellaret. Sunt igitur Rufino *Suburbicariæ Ecclesiæ*, quæ D. Hieronymo *Ecclesiæ Sedis Apostolicæ* dicuntur. Hoc enim modo appellat trium Patriarcharum diœceses in epist. ad Vigilantium: *Quid*

facient Orientis Ecclesiæ? Quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ? Hanc ego interpretationem vti verissimam semper censui, ita mirabar non & alijs in mentem venisse. Verum comperi posteà, fuisse olim à doctissimo Baronio allatam, eóq; vehementius arridere mihi cœpit. Quùm tu illam apud eundem legisti, quid ni corculum tibi perculit? Atqui studiosè dissimulasti, quòd cernebas hac machinâ totam tuam ædificationem subuerti. Nolim etiam silentio coniecturam nostram transmittere, qualiscúmque ea sit; videri scilicet Rufinum non *Suburbicarias*, sed *Suburbicas* Ecclesias scripsisse, quod confirmatur codice manu exarato Vaticanæ Bibliothecæ, in quo scriptum disertis verbis, *Suburbicarum Ecclesiarum*. Vt minus ineptè appellatas appareat *Suburbicas Ecclesias*, quæ sub Vrbico Episcopo constitutæ essent. Quamuis Suburbicariæ Regiones magis dicerentur, quia prope Vrbem essent, quàm quia Vrbano Præfecto subessent.

Verùm tu, Anonyme, quia sententiam illam, quam Rufino affingis, titubare sentiebas, alias quóque coniecturas, tanquam subsidiarias copias, aduocas. Ac pro magno tibi est, quòd Valentinianus Imper. in l. 62. Cod. Theod. de Hæret. sanxerit, schismaticos Vrbe Româ ad centesimum lapidem submouendos. Hinc enim colligis, velut etiam ex eo, quod testantur Optatus, & Hieronymus de Donatistis ex Africâ electis, eam fuisse schismaticorum pœnam, vt amandarentur extra diœceseosterminos eius Episcopi, à cuius se communione ipsi segregassent. Num ignoras tu, qui Iu-

risconsultum agis, non esse ab exemplis ius deriuandum? Accipe verò, quàm variè expelli soliti essent schismatici. Vrsicinus, qui aduersus Damasum Pontifex electus fuerat, quùm legitimæ Damasi electioni cedere detrectaret, in Galliam relegatus est: assectæ verò Vrbe tantummodo remoti. Verba rescripti Imp. Valentiniani ad Prætextatum P. V. quod à Baronio ex antiquo Codice Vaticano recitatur ad annum Christi 368. ea sunt: *Vrsicini socijs, & ministris, quos præcelsa sublimitas tua, propter quietem Vrbis æternæ de medio putauit esse tollendos, Româ tantùm* (*cuius tranquillitati studemus*) *exceptâ, vbicúmque voluerint, absque religionis iniuriâ* (*vt peregrinari potius quàm exulare videantur*) *proprio liceat iure versari.* At quoniam in Suburbijs Ecclesiam congregabant, anno sequenti longius secedere iussi sunt, nimirum vltra vicesimum lapidem. Sic enim legere est in rescripto ad Olybrium Præfectum Vrbi: *Tu quidem vt proximis litteris indicasti, enixissimo studio præstare voluisti, vt nulla in Vrbe Roma posset esse discordia, Christianorumque populus profunda in ocio securitate gauderet. Sed quantum Aginatij clarissimi viri Vicariæ Præfecturæ scripta testata sunt, adhuc aliquanto placata misceri delectat extramuraneisque conuentibus frequens strepitus excitatur, Olybri parens carissime Augustorum. Quamobrem egregia sublimitas tua ipsius auctoritate præceptionis, & patriæ præstet, & legi, vt populo dissentienti nulla intra vigesimum lapidem, vel religio ad coëundum possit esse, vel copia; vt si cessare non vult migret vt iussum est, insana collectio, &c.* Ac neansam,

accipias hanc lectionem ſollicitandi, vt pro *viceſimum* reponas *centeſimum*, quemadmodum in Tacito feciſti; idem Auguſtus ad ipſum Aginatium Vicarium eâ de re ſcribens, ijs verbis vſus eſt: *iubemus, vt nullus intra vigeſimum lapidem conuentus habeatur.* Anno poſtmodum 371. facta eſt poteſtas Vrſicino in Italiam redeundi, dummodò abſtineret Vrbe, & Suburbicarijs Regionibus. Reſcriptum extat Impp. Valentiniani, Valentis, & Gratiani ad Ampelium P. V. in quo hæc inter cetera habentur: *Dudum Vrſicini inquietudine prouocati, fauentes concordiæ populi Chriſtiani, quieti etiam Vrbis ſacratiſſimæ prouidentes, vno interim loco intra Gallias dumtaxat perturbatorem tranquillitatis publicæ ſtatueramus iure cohiberi, ſcilicet ne applicatione morum latè diſſenſionis incommodum ſpargeretur. Verùm naturæ noſtræ manſuetudine leuigati, ita memorato abſcedendi copiam dedimus, ne ad Vrbem Romam, vel certè Suburbicarias Regiones pedem inferat. &c.* Idem ſtatutum de erroris conſortibus. Et in reſcripto ad Maximinum Vicarium Vrbis: *ex quo oritur, vt Vrſicino, quem propter quietem populi Chriſtiani, & debitam Religioni ac legibus diſciplinam vno interim loco morari intra Gallias iuſſeramus, diſcedendi copiam fecerimus ſub ea conditione, ne vagandi arbitrium præberemus, neve ad Vrbem Romam, vel Regiones Suburbicarias valeat commanere. &c.* & infrà: *ſic enim manſuetudinis noſtræ indulgentiam temperamus, ne occaſione præſtita vicinitate inquietorum ad aliquam forſan vociferationem religioſæ populi ſtudia prouocemus.* Ex poſtremis hiſce verbis perſpicuum

spicuum fit, ideo schimaticos longiùs abesse iussos, non vt extra diœcesim essent, sed ne vicinitate Vrbem turbarent. Apparet post hæc, Vrsicinum Coloniæ Agrippinæ relegatum fuisse, Hisacem in Hispaniam amándatum, Claudianum in Africam: reliquos eiusdem partis schismaticos denuò vltra centesimum ab Vrbe miliarium fuisse depulsos, necnon ex earum ciuitatum finibus, quarum plebem vel Ecclesias, vel per se, vel per simile sui vulgus exercebant, ex Gratiani & Valentiniani constitutione ad Aquilinum Vicarium ordinariorum, quam profert Baronius ex eodem Codice Vaticano ad annum 381. Vides, habitam fuisse rationem finium ciuitatis, non diœceseos? Verùm quid tibi melius obstruere os potest, quàm lex 35. Cod. Theod. de Episc. & Cler. in qua Impp. Arcadius & Honorius sic ioquuntur: *Quicumque residentibus Sacerdotibus fuerit Episcopali loco detrusus, & nomine, si aliquid, vel contra custodiam, vel contra quietem publicam moliri fuerit deprehensus, rursusque Sacerdotium petere, à quo videtur expulsus, procul ab ea Vrbe, quam infecit, secundum legem diuæ memoriæ Gratiani, centum millibus vitam agat, sit ab eorum cœtibus separatus, à quorum est societate discretus, &c.* Quid? Putáne vnamquamq; Vrbem, aut sui territorij, aut Episcopalis parœciæ terminos ad centesimum lapidem protulisse? Germanæ gerræ sunt hæc, in quibus pudet me, pigétque multum fuisse; nam vel me tacente vapulaturus fueras doctorum conuicio, tuorum quoque fautorum, ac gregalium.

Alio machinamento diœceſin Romani Epiſcopi aggrederis. Ais Italiam ſpecialiter fuiſſe dictam, quæ prouincias omnes Italiæ continebat, exceptis Regionibus Suburbicarijs. Huius Italiæ ſpeciatim ſumptæ cenſes Mediolanum fuiſſe Metropolin, ideò nihil ad Romanũ Epiſcopum pertinuiſſe: quin duobus hiſce Epiſcopis, Romano nempe, & Mediolanenſi æquam fuiſſe auctoritatem. Hac de re poſteà videbimus. Nunc quàm mirè ſis hallucinatus in hac ſpeciali Italiæ notione, præter ea, quæ ſuperiore diatribâ dicta ſunt, amplius demõſtrandũ eſt. Si quod aſſeueras, verũ eſſet, fatendum ſanè foret, Mediolanenſi Epiſcopo ſubiacuiſſe Campaniam, Brutios, Apuliam, Calabriã, alias prouincias, quæ inter Suburbicarias non connumerantur; quod nemini vnquàm in mentem venit, ne dum vt ex vllis documentis elici id queat. Tu primus rem hactenus inauditam patefactum venis. Iam ſi te patronum adoptauerit Mediolanenſis Eccleſia, propè erit, vt grandem ſuæ diœceſi acceſſionem faciat. Non vides miſer, in quas te anguſtias conijcias? Non inficiandum eſt, partem quandam Italiæ propriam ſibi appellationem Italiæ aſſumpſiſſe; ſed ea fuit, cui Vicarius Italiæ ſic dictus præerat. Huic parebant quatuor Conſulares, Venetiæ nimirum, Iſtriæque, Æmiliæ, Flaminiæ, cum Piceno annonario, & Liguriæ: & tres Præſides, Alpium Cottiarum, Rhætiæ primæ, Rhætiæ ſecundæ. Atque hæc erat Italia ſpecialiter dicta. Quapropter videmus D. Athanaſium Apologia 2. inter prouincias, quarum

Episcopi Concilio Sardicensi adfuerant, hasce enumerare, Italiam, Picenum, Thusciam, Campaniam, Calabriam, Apuliam, Brutios. Et in epistola ad solitarios: πλείνς δὲ ἤσθμ Ἐπίσκοποι ὑπό τε τῆς Ῥώμης, καὶ τῆς Ἰταλίας πάσης, Καλαβρίας τε, καὶ Ἀπυλίας, καὶ Καμπανίας, &c. Quem locum quùm & tu laudaueris, cur non animaduertisti, prouincias illas, quæ ex Suburbicarijs Regionibus non erãt, distinctè separari ab Italiâ angustiùs acceptâ? Ac sanè catalogus ipse Episcoporum Cõcilij Sardicensis, qui adhuc extat licet mutilus, hosce habet subscriptos: *Lucillus ab Italia de Verona: Fortunatianus ab Italia de Aquileia: Seuerus ab Italia de Rauenna: Vrsacius ab Italia de Brixia: Protasius ab Italia de Mediolano: Stercorius ab Apulia de Canusio: Maximus à Thuscia de Luca.* Sic in catalogo Episcoporũ, qui synodo Arelatensi interfuerunt, hosce reperio: *ex prouincia Campaniæ ciuitate Capuana Protus Episcopus: ex Prouincia Apuliæ ciuitate Arpientium Pardus Episcopus: ex prouincia Italiæ ciuitate Mediolanensi Protasius Episcopus.*

Illud porrò in memoriam reuocandum, quòd superiore dissertatione monuimus, specialem hanc Italiæ appellationem vsurpatam non fuisse ante Vicarium Italiæ constitutum; quod sub Constantini Magni imperio contigit, quùm nimirum quatuor Præfecti Prætorio sint creati Ideò spectare hûc nequit, quod tradit Euseb lib. 7. cap. 24. Hist. Eccl. Imperatorem Aurelianum, vbi cognouisset, Paulum Episcopum Antiochenum Synodi sententiâ ab Episcopatu electum renuere

è domo exire, quæ propria erat eius Ecclesiæ, iussisse, vt id obtineret, quod Romanus Episcopus, eiúsque Synodus decreuissent. Sic enim capienda sunt verba illa: οἱ κατ' Ἰταλίαν, καὶ πλὴν Ῥωμαίων πόλιν ἐπίσκοποι. &c. Licet enim vniuersus Occidens specialis esset diœcesis Romani Pontificis, vt mox dicemus, crebrius tamen ex Episcopis solùm Italiæ Synodus congregabatur, ne remotiorum partium Antistites molestiâ afficerentur.

Eam ob causam putant quidam, Episcopum Italiæ se Liberium appellasse in epistolâ ad Orientales Episcopos apud Socratem lib. 4. cap. 11. Verùm aliter ego sentio, laténsque ibidem vlcus deprehendisse me profiteor. Adeo enim est insolens ea loquendi formula, vt excepto hoc vno Socratis loco nusquam alibi eam reperias. Tolerabilius videretur, si alius quispiam Liberium Italiæ Episcopum nominasset. Ipsum hac se præter morem appellatione insigniuisse, nemo sanus existimauerit: quùm Romani Pontifices ne se Romæ quidem Episcopos dicere consueuissent, sed Episcopos simpliciter: *Julius Episcopus: Liberius Episcopus: Damasus Episcopus, &c.* Aio itaque aut Socratem ipsum oscitanter Latina Græcè reddidisse, aut peccasse librarium. Procliuius est vt credam, epigraphen Latinæ Epistolæ sic fuisse conceptam: *Liberius Episcopus Italiæ atque Occidentis Episcopi. &c.* Socrates non animaduersâ distinctione hoc puto transtulit: Λιβέριος ἐπίσκοπος Ἰταλίας, καὶ οἱ κατ' ἐμὲ δύσιν ἐπίσκοποι, &c. Quòd si quis in librarium reijcere culpam malit, quùm ita fortasse scriptum à So-

crate esset: Λιβέριος ὑπίσχυρος, οἵ τε Ἰταλίαι, καὶ οἱ τῶν δύσιν ὑπίσχυροι, perfacile suspicari licet, librarium, dum hæc ex dictantis ore exciperet, similitudine soni deceptum voculas illas οἵ τε omisisse, quasi geminatio esset priorum syllabarum Ἰταλίαι. Inde codicum deprauatio etiam in Nicephori historiâ, qui ea omnia ex Socrate exscripsit. Neminem fore puto adeo aut hebetis, aut pertinacis ingenij, qui alterutri ex hisce coniecturis non sit assensurus, si animaduerterit in libello, quem Legati Orientales Liberio dederant, vt est apud eundem Socratem, extare verba illa: ταῖς τῶν χρηστότητί σου, καὶ πᾶσι τοῖς Ἰταλοῖς τε καὶ δυτικοῖς ὑπισχύροις χάριμα κομίζομεν, *ad bonitatem tuam, atque ad omnes Italos Occidentalésque Episcopos litteras afferimus.* Nec minus in ipsâ Liberij epistolâ hæc legi: ταῖς τε τῶν ἐμῶν ἐλαχιστότητα, καὶ τῶν ἐν Ἰταλίᾳ, καὶ δυτικῶν πάντων, &c. *ex sententiâ tenuitatis meæ, Italorumque atque Occidentalium omnium.* Proinde quocumque tandem modo scripserit Socrates, satis apparet vocem Italiæ non Liberio, sed alijs Episcopis aptandam esse. Neque est, cur tu mysterium subesse aliquod suspiceris in verbis Eusebij, siue Aureliani, quòd Episcopo Vrbis Romæ præponantur Episcopi Italiæ. Etenim vel pueri te docebunt, non abhorrere hanc loquendi formam ab eo, quod aiebat Poëta:

Troas relliquias Danaûm, atq; immitis Achilli.

aut quod in Euangelio legimus: *dicite discipulis, & Petro*, qui vtique primus erat discipulorum: atque ita nominatur à Matthæo Apostolo, quamuis nec ætate

alios ſuperaret, nec ceteris prior ad Apoſtolatum fuiſſet vocatus. Igitur Aurelianus Imperator cauſam illam Epiſcopis Italiæ demandans, Romanum ſpeciatim nominauit tanquam eorum caput. Atque ita interpretatur Zonaras in præfatione ad Synodū Antiochenā. δὴ (inquit) οἱ τῆς συνόδου πρὸς τὸν βασιλέα Αυρηλιανὸν περὶ τούτου αἰτήσεως· καὶ ὃς τῇ τῆς Ρωμαίων ἐκκλησίας ἐπισκόπῳ καὶ τοῖς κατ' αὐτὸν ἀρχιερεῦσιν ἐκέλευσε τὰ κατὰ τὸν Παῦλον ἐπισκέψασθαι. καὶ εἰ δικαίως καθῄρηται, ἐκβαλεῖν αὐτὸν τῆς τῶν χριστιανῶν ἐκκλησίας. ὃ καὶ γέγονεν, ὡς ὁ τὴν Παμφίλου Εὐσέβιος ἱστορεῖ, *Itaque patres Synodi de eo ad Aurelianum Imperatorem retulerunt. Ille verò Romanæ Eccleſiæ Epiſcopo, eiuſque Antiſtitibus iuſſit de Paulo inquirere, & ſi iuſtè depoſitus eſſet, eum ex Chriſtianorum Eccleſia expellere; quod etiam factum eſt, vti ſcribit Euſebius Pamphili.*

Itaque Italiæ ſpecialiter ſumptæ, quæ ſub Vicario Italiæ erat, Mediolanum Metropolis dicebatur. Quod intelligendum eſt de ſæculari iuriſdictione, non de Eccleſiaſticâ: neque enim aut Rauennæ, aut Aquileiæ Epiſcopi ſubiecti erant Mediolanenſi. Neque vllum in Italiâ Epiſcopum reperies præter Romanum, qui Metropolitanos ſub ſe haberet. Sed ratione habitâ magnitudinis Vrbis illius, quam celebrat Procopius lib. 2. de bello Gottico, aliique; in qua & Imperatores vt plurimum commorabantur, & Vicarius ipſe Italiæ reſidebat, caput Italiæ reſtrictius acceptæ, & Metropolis dicebatur. Ceteroquin Liguriæ caput cenſenda potius fuerat: ideóque eius prouinciæ Theſaurus, &

Gynæcium Mediolani erat, vt colligitur ex Notitiâ Imperij, in quâ, *præpositus Thesaurorum Mediolanensium Liguriæ*: & *Procurator Gynæcij Mediolanensis Liguriæ*. Duo illa officia, & Aquileia, Venetiæ caput habebat Eadē Notitiâ: *præpositus Thesaurorum per Italiā Aquileiæ, & procurator Gynæcij Aquileiensis Venetiæ inferioris*. Et tametsi fuisset Mediolanū Metropolis illarum prouinciarum, non ideo tamen necessariò consequebatur, earum omnium curam Ecclesiasticam pertinuisse ad Episcopum Mediolanensem. Neq; enim conueniebant in omnibus sæculares Magistratus, atque Ecclesiastici, vt superiori capite abundè docuimus. Mediolanensis, & Aquileiensis Ecclesia pari quodammodo passu ambulabant. Itaq; mos quodam tempore inualuit, vt earum se Episcopi inuicem ordinarent, c. pudenda, 24. q. 1. Non tamen id absque Romani Pontificis consensu, nempe (vt ibidem dicitur) quùm *pro longinquitate, vel difficultate itineris, ab Apostolico oneroſum illi fuerat ordinari*. Igitur munus erat Apostolici, hoc est Romani Episcopi, ordinandi Metropolitas in suâ speciali diœcesi (scilicet in toto Occidente) sicut & aliorum Patriarcharum in suâ. Verùm ob itinerum difficultatem, ac locorum interualla, præstantiori cuidam ex Metropolitanis vices suas tradens ceteris eum præficere consueuerat, quem & Primatis nomine insignibat, vt in Gallijs, & Hispanijs, alijsq; longinquis prouincijs factum legimus. Non tamen vt rebus omnibus Metropolitanos ijsdem Primatibus subijceret, quemadmodum ipsis Patriarchis sub-

ſunt; ſed *ſaluis priuilegijs* (vt aiebat Hormiſda Pontifex ad S. Remigium Remorum Epiſcopum), *quæ Metropolitanis decreuit antiquitas.* Idem ad Saluſtium Hiſpalenſem Epiſcopum: *Vices itaque noſtras per Bæticam Luſitaniamque prouincias, ſaluis priuilegijs, quæ Metropolitanis decreuit antiquitas, præſenti tibi auctoritate committimus. &c.* Leo primus Anaſtaſio Theſſalonicenſi Epiſcopo: *ſicut præceſſores mei præceſſoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuæ, priorum ſequutus exemplum, vices mei moderaminis delegaui, vt curam quam vniuerſis Eccleſijs principaliter ex diuina inſtitutione debemus, imitator noſtræ manſuetudinis, effectus adiuuares, & longinquis ab Apoſtolica Sede prouincijs præſentiam quodãmodo noſtræ viſitationis impenderes.* & infrà: *igitur ſecundum ſanctorum patrum canones ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia conſecratos, Metropolitanos ſingularum prouinciarum Epiſcopos, quibus ex delegatione noſtra fraternitatis tuæ cura prætenditur, ius traditæ ſibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus.* Huiuſmodi priuilegio videtur interdum fuiſſe decoratus Antiſtes Mediolanenſis, quamuis non vſurpatâ Primatis appellatione: præſertim verò ex quo Eccleſiæ illi præfuit D. Ambr. Quamobrem & is Sirmiũ perrexit ad creandum Metropolitam, vt in eius vitâ tradit Paulinus. Quod non ex propriæ Sedis auctoritate feciſſe credendus eſt, vt exiſtimauit Berterius, ſed ex Romani Pontificis delegatione. Neque enim aut Mediolanenſis, aut alius quiſpiam Metropolita plures ſub ſe habebat prouincias. Ex eo intelligimus, in cauſâ Priſcillianiſtarum

lianistarum delegatas à Romano Pontifice suas vices Præsuli Mediolanensi: quod pluribus demõstrat Baronius tomo 5. Annalium. Huc spectant, quæ traduntur in actis Concilij Toletani, & Taurinensis: ac quòd scriptum est in quinto canone eiusdem Taurinensis Concilij: *siquis ab eius* (Fœlicis) *communione se voluerit sequestrare, in nostræ sanctæ pacis consortium suscipiatur, iuxta litteras venerabilis memoriæ Ambrosij, vel Romanæ Ecclesiæ Sacerdotis dudum latas*: non intelligendum est, habitam fuisse rationem litterarum tàm Ambrosij quàm Romani Pontificis, vt alterutri parendum, Concilium illud sibi constituisset. Sed particula, *vel*, declarandi vim eo loci obtinet, perinde quasi dixissent: *iuxta litteras Ambrosij, vel (vt verius dicamus) Romanæ Ecclesiæ Sacerdotis*, cuius nimirum nomine litteras Ambrosius scripserat, eius illâ in re vices sustinens. Nam quæ alioquin auctoritas Archiepiscopo Mediolanensi, vt ab eius præscripto discedendum neutiquam putarent Gallicani Patres, átque Hispanici? Id actum, vbi S. Ambrosius sequutus est Damasi præiudicium: quâ de re ita Seuerus Sulpicius lib. 2. sac. hist. *Priscillianistæ, vbi Romam peruenêre, Damaso se purgare cupientes, ne in conspectum quidem eius admissi sunt: Regressi Mediolanum, æquè aduersantem sibi Ambrosium repererunt.* Quod ait, *æquè aduersantem*, intelligit, neque in conspectum Ambrosij admissos. Id tradit in Chronicis Idatius Lemicensis Episcopus, qui illâ ætate viuebat, *Priscillianus declinans in hæresim Gnosticorum, per Episcopos, quos sibi in*

eâdem prauitate collegerat, Abulæ Episcopus ordinatur. Qui aliquot Episcoporum Concilijs interdictus, Italiam petiit, & Romam, vbi ne ad conspectum quidem sanctorum Episcoporum Damasi & Ambrosij receptus, cũ his, cum quibus uerat, redit ad Gallias. Is videtur mos fuisse hæreticis, vt quùm Romæ impetrare nihil possent, Mediolanum pergerent, in amplissimam scilicet ciuitatem, vbi Imperatoris sedes erat; vt si eius Episcopo imponere quoquo modo potuissent, Principis quóque præsidium sibi compararent. Id feciſſe legimus Iouinianum cum socijs: verùm admonita à Siricio Papa Mediolanensis Ecclesia, eosdem damnauit, & expulit. Quod subdit Sulpicius de ijsdem Prisillianistis: *tum vertêre consilia, vt qui à duobus Episcopis, quorum eâ tempestate summa auctoritas erat, non illuserant, largiendo, & ambiendo ab Imperatore cupita extorquerent.* Quamquàm dici posset, scriptorem hunc minus propriè loquutum, potius tamen censendum est, non de Pontificia potestate, quo ad Ambrosium pertinet, id extuliſſe: sed summæ auctoritatis Episcopum illum nominasse ob vitæ sanctitatem, ob doctrinæ, átque eloquentiæ præstantiam, ob eam, quâ plurimùm valebat, gratiam, cùm apud Damasum ipsum, tùm apud Imperatorem. Vt enim Damasus dignitate præstabat, ita quorumdam splendore virtutum magis coruscabat Ambrosius. Quò etiam referendum est quod legitur apud Paulinum, Reginam Marcomannorum Ambrosij famâ commotam, Christianisque sacris initiatam, non ab Ecclesiarum capite Romano Põ-

tifice, sed ab ipso Ambrosio fidei formulam petijsse: eũdem quoq; voluisse inuisere; adeò virtutum eius fama late spargebatur. Animaduertendum etiam quod ait Sulpicius, EA TEMPESTATE, quibus verbis summam illam auctoritatem Ambrosio accommodat, non alijs pro tempore Mediolanensibus Episcopis: Quod de Damaso, & Romanis Præsulibus dici nequit. Non absimile est, quod de Rhetitio Augustodunensi Episcopo protulit D. Augustinus lib. 1. contra Iulianum Pelag. cap. 3. *Rhetitium ab Augustoduno Episcopum magnæ fuisse auctoritatis in Ecclesia tempore Episcopatus sui, gesta illa Ecclesiastica nobis indicant, quando in Vrbe Romana Melchiade Apostolicæ Sedis Episcopo sedente cum alijs iudex interfuit, Donatumque damnauit.* Itaque magnæ auctoritatis Ambrosius, non tàm suæ Ecclesiæ prærogatiuâ, quàm virtutum, & doctrinæ merito. *Etsi enim* (vt aiebat S. Leo epist. 62.) *diuersa nonnunquam sunt merita Præsulum, tamen iura permanent Sedium.* Nihil est igitur, cur tu, Anonyme, Mediolanensem Ecclesiam Apostolicæ Sedi conferas. Nam quòd tempora quóque ad tuam sententiam fulciendam leuiter tangis, quibus ruptâ sacramenti reuerentiâ subduxere se Mediolanenses Episcopi à Pontificis auctoritate, more tuo facis, vt qui Romano Pontifici infestus, Arrianis, ac Nouatianis patrocinium accommodasti, schismaticis quóque fauere videaris. Cæterùm Ambrosius ipse arguet te mentientem, qui quùm scripserit in Orat. in Satyrum: *percunctatus Episcopum est, si cum Epis-*

copis Catholicis, hoc eſt ſi cum Romana Eccleſia conueniret, vtique innuit, quænam Eccleſia ceterarum vertex cenſenda eſt, vt quæ cum illa non conueniat, catholica haberi nequeat. Cur enim non Mediolanenſi potius Eccleſiæ id iuris tribuat? Quia nimirum inter membra ſuo capiti ſubiecta eam eſſe probè callebat, & Metropolitam ſe quidem norat, ſed ex ijs, qui in ſpeciali Romani Patriarchæ diœceſi ſub eo conſtituti erant. Hoc ex ipſius epiſtolâ 78 facilè elicies. In Synodo Capuanâ anno Chriſti 389. delegata fuit Theophilo Epiſcopo Alexandrino cauſa inter Euagrium, & Flauianum, qui eodem tempore Eccleſiæ Antiochenæ electi erant Epiſcopi. Igitur Ambroſius Theophilum monet, vti ſuæ ſententiæ auctoritatem adhibeat Pontificis Maximi. Verba epiſtolæ illa ſunt inter cetera: *ſanè referendum arbitramur ad ſanctum fratrem noſtrum Romanæ Sacerdotem Eccleſiæ: quoniam præſumimus ea te iudicaturum, quæ etiam illi diſplicere nequeant. Ita enim erit conſultum ſententiæ, ita pacis, & quietis ſecuritas, ſi id veſtro ſtatuatur Concilio, quod communioni noſtræ diſſenſionem non afferat. Vt nos quóque accepta veſtrorum ſerie ſtatutorum, quùm id geſtum eſſe cognouerimus, quod Eccleſia Romana haud dubiè comprobauerit, læti fructum huiuſmodi examinis adipiſcamur.* Quàm infeliciter actum cum Eccleſiâ Mediolanenſi, quòd tu eâ tempeſtate natus non ſis; ſiquidem perſuadere Ambroſio poteras, ſcriberet Theophilo, vti ad ſe referret, non ad Romanum Pontificem de controuerſiâ illâ Antioche-

nâ: eadem enim iura sibi competere. Vide, quas nugas agas; & cuius præterea momenti censendum sit, quod innuis, à Patribus Africanis præter Romanum Pontificem consultum olim fuisse Simplicium Mediolanensem, de infantibus, quos Donatistæ baptizabant. quid ni enim sententiam exquirerent viri sapiẽtissimi, magniq; in Ecclesiâ nominis? an non & hoc licuisset, etsi nõ fuisset Episcopus? Sed non inficias imus, ex Metropolitanis Romanæ diœceseos præcipuũ esse habitũ Mediolanensem. Obseruat Gratianus in suo Decreto dist. 17. cap. vlt. in subscriptione duorum Romanæ diœceseos Conciliorum sub Symmacho, Episcopum Mediolanensem præponi Rauennati; hincque colligit eius sedis prærogatiuam. Addere poterat & tertium: nam in quintâ Synodo sub Symmacho post ipsum Papam Metropolitani, qui tunc aderant, hoc ordine subscripti reperiuntur: *Cælius Laurentius Episcopus sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ: Petrus Episcopus Catholicæ Rauennatis sanctæ Ecclesiæ: Eulalius Episcopus Ecclesiæ Syracusanæ.* Verùm non oportuit Gratianum hisce exemplis esse contentum ad regulam statuendam de dignitate Mediolanensis Ecclesiæ; etenim suspicari possumus, prælatum eo tempore Laurentium, quòd antiquior esset ceteris Metropolitanis. Nam in Patriarchalibus tantùm sedibus nulla habebatur ratio antiquioris Antistitis, sed suum cuiq; ius seruabatur, prout antiquitùs inductum fuerat. Inter Metropolitas verò sicut & inter Episcopos, antiquitas electionis at-

tendebatur. Itaque in alijs Synodis alios Archiepiſcopos Mediolanenſi prælatos videmus. In Romano Concilio, quod celebratum eſt præſidente Iulio Papa, Metropolitæ hoc ordine deſcribuntur: *Benedictus Aquileienſis: Rufus Carthaginenſis: Agapitus Rauennas: Iulius Mediolanenſis.* In Concilio Aquileienſi ſub Damaſo, primo loco ſupra ceteros ſedit *Valerianus Aquileienſis*, ſecundo *Ambroſius Mediolanenſis.* In Concilio quodã ſub Sergio ſecundo, prior nominatur ab Anaſtaſio Bibliothecario, *Gregorius Archiepiſcopus Eccleſiæ Rauennenſis*, deinde *Angelbertus Archiepiſcopus Eccleſiæ Mediolanenſis.* Conſtat profectò peramplam fuiſſe Mediolanenſis Archiepiſcopi prouinciam, vtpote quæ protenderetur per Liguriam, Æmiliam, Venetiam, aliáſq; regiones. Quod elicitur ex epiſtolâ 82. Diui Ambroſij ad Eccleſiam Vercellenſem: *Confligor* (inquit) *dolore, quia Eccleſia Domini, quæ eſt in vobis, Sacerdotem adhuc non habet; ac ſola nunc ex omnibus Liguriæ, atque Æmiliæ, Venetiarumque, vel ceteris finitimis Italiæ partibus, huiuſmodi eget officio, quod ex eâ aliæ ſibi Eccleſiæ petere ſolebant. Et quod verecundius eſt, mihi adſcribitur veſtra intentio, quæ affert impedimentum. Nam quùm ſint in vobis diſſenſiones, quomodo poſſumus aliquid aut nos decernere, aut vos eligere?* Scio fuiſſe, qui hanc epiſtolam ſuſpectam haberet, quòd Venetias nominet. Verùm, vt rectè monuit doctiſſimus Card. Bellarminus in libro de Scriptor. Eccleſiaſticis, non Vrbs Venetiarum eo loci intelligitur, ſed Prouincia, quæ in ſuperiorem,

& inferiorem diuidebatur, ideo plurium numero appellari consueuerat. Paulus Vuarnefridus Diaconus lib. 2. hist. Longobar. *Venetia enim non solùm in paucis insulis, quas nunc Venetias dicimus, constat; sed eius terminus à Pannoniæ finibus vsque Adduam fluuium protelatur. Probatur hoc Annalibus libris in quibus Pergamus ciuitas esse legitur Venetiarum: nam & de lacu Benaco in historijs ita legimus: Benacus lacus Venetiarum, &c.* Vetus lapis Neapoli: M. MÆCIO. MEMMIO. FVRIO. BALBVRIO. CÆCILIANO. PLACIDO. C. V. PONTIFICI. MAIORI. AVGVRI. PVBLICO. P. R. QVIRITIVM. QVINDECEM. VIRO. SACRIS. FACIVNDIS. CORRECTORI. VENETIARVM. ET. HISTRIÆ. *&c.* Scribit etiam Anastasius Bibliothecarius in vitâ Hadriani; *Carolum Francorum Regem inter ceteras prouincias tradidisse Pontifici maximo vniuersum Exarchatum Rauennatium, sicut antiquitùs erat, atque prouincias Venetiarum & Histriam, &c.* quæ propè verba legere quoque est apud Leonem Episcopum Hostiensem lib. 1. chron. Casin. cap. 9. dum loquitur de concessione à Pipino Rege filijsque Pontifici factâ. Atque hinc nomen suum plurium numero adepta est nobilissima Venetiarum ciuitas, quòd ex vtráque Venetiâ, tam inferiore quàm superiore confluxerint populi ad eam condendam, præsertim ex Patauio, Aquileiâ, & Altino. Porrò non eo pacto loquutus fuisset Ambrosius, nisi Episcopos habuisset sibi subiectos ex omnibus illis Prouincijs.

Suberat illi ex Venetiâ Epiſcopus Veronenſis, quod colligitur ex eius ep. 64. & 65. ex Æmiliâ Fauentinus, quod in Ambroſij vita Paulinus innuit: Forocornelienſis, quod patet ex eiuſdem Ambroſij epiſtolâ 44. Bononienſis, quod præter Paulinum ex pluribus Ambroſij locis elicitur, & fatetur Sigonius in libro de Epiſcopis Bononienſibus. Porrò in epiſtolâ Euſebij Mediolanenſis Epiſcopi ad Leonem primum Papam ſubſcriptos videmus inter ſuffraganeos Epiſcopos Regienſem, Placentinum, Taurinatem, Iporienſem, Auguſtanum, Curienſem primæ Rhetiæ. Eâ de cauſâ videbatur Mediolanenſis Antiſtes inter Italos Metropolitanos Romano Patriarchæ ſubiectos primas quodammodo tenere. At Io. Candidus in commentarijs Aquileienſibus lib. 4. Epiſtolam recitat Leonis Papæ Octaui ad Rodoaldum Patriarcham Aquileienſem, quâ ſtatuit, vt inter omnes Italicas Eccleſiarum Sedes, prima ſit poſt Romanam Aquileienſis, aſſerens idem priuilegium à Petro Apoſtolo S. Hermagoræ Aquileienſi Epiſcopo fuiſſe conceſſum. At ſi vniuerſam diœceſim reſpiciamus, id potius tribuendum videtur Carthaginienſi Metropolitæ. Leo nonus epiſt. 3. *Noueris ergò procul dubio, quia poſt Romanum Pontificem primus Archiepiſcopus, & totius Africæ Metropolitanus eſt Carthaginienſis Epiſcopus.* Niſi quis ad Africanas ſo um regiones hæc referre velit. Videmus profectò in Synodo ſub Iulio habitâ Carthaginienſem deſcriptum poſt Aquileienſem. Conſtat tamen ſub Clemente

mente secundo ortum fuisse dissidium de cessione inter tres illos Metropolitas Aquileiensem, Rauēnatem, Mediolanensem: ac pro Rauennate pronunciatum fertur, qua de re Sigonius lib. 8. de Regno Italiæ, & Hieronymus Rubeus in Histor. Rauennate.

Compertum iam nobis est, eos qui à Romano Pontifice aliquid petebant, alijs quoq; Episcopis eius diœceseos scribere consueuisse, quos nimirum sciebant in consilium ab ipso adhiberi solitos. Iulius Papa in epistolâ ad Eusebianos apud Athanasium Apol. 2. ὅτι εἰ καὶ μόνος ἔγραψα, ἀλλ' οὐκ ἐμὸν μόνον ἐστὶν αὐτὸ ἡγούμην, ἀλλὰ τῶν πάντων τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν καὶ τῶν σὺν τούτοις τοῖς μέρεσιν ἐπισκόπων. *Tametsi solus sum qui scripsi, non mea tamen solius sententia est, sed omnium Italorum, omniumq; his in regionibus Episcoporum.* Ideo D. Basilius quo tempore malè audiebat apud Pontificem maximum, ad quosdam Occidentales Episcopos litteras dedit, quibus litteris conciliare illos cum ipsorum capite sibi studebat. In ijs hæc leguntur præter cætera: Εἴτε κεφαλὴν ἑαυτοὺς τῆς καθόλου ἐκκλησίας λογίζεσθε, δύνασθε ἡ κεφαλὴ εἰπεῖν τοῖς ποσὶ, χρείαν ὑμῶν οὐκ ἔχω. Εἴτε δὲ ἐν ἄλλῃ τάξει τῶν ἐκκλησιαστικῶν μελῶν ἑαυτοὺς τάσσετε, δύνασθε λέγειν τοῖς ἐν τῷ αὐτῷ σώματι τεταγμένοις ἡμῖν, τὴν χρείαν ὑμῶν οὐκ ἔχομεν. *Siue caput vos ipsos vniuersalis Ecclesiæ reputatis, non potest pedibus dicere caput, nō est mihi opus vobis. Siue in reliquum vos Ecclesiasticorum membrorum ordinem locatis, non potestis nobis dicere, qui in eodem vobiscum corpore cōstituti sumus, non estis nobis necessarij.* Videtur caput appellare Ecclesiæ Occidentalis Episcopos, quatenus diœcesim

efficiebant Romani Pontificis. Singulos autem conſiderans inter cætera Eccleſiæ membra collocat. Erant qui præter ipſum Pontificem præcipuis tantùm eius Metropolitanis ſcriberent; quemadmodum feciſſe D. Io. Chryſoſtomum legimus apud Palladium in dialog. Siquidem certiores reddidit de ſuâ ab Epiſcopatu extruſione tùm Innocentium Papam, tùm Venerium Mediolanenſem, & Chromatium Aquileienſem Epiſcopos. Porrò legati ex Concilio Lampſaceno Orientalium Arianorum, vbi Romæ fidei profeſſionem coràm Liberio edidiſſent iuxta præſcriptũ Nicenæ Synodi, idem præſtiterunt (vt ſcribit Socrates) in totâ ferè diœceſi Romanâ, atq; eius rei litteras ſecum tulerunt ab Epiſcopis Italiæ, Siciliæ, Galliæ, atq; Africæ. Nimirum vt ſi quid noui poſtea emerſiſſet, haberent eoſdem Epiſcopos teſtes, atq; adiutores apud ſummum Pontificem. Ac tùm quidem præcepit Liberius ſuis litteris (quarum meminit D. Baſilius Epiſt. 54.) vt ij, qui eiecti ſuis è ſedibus fuerant, in eaſdem reſtituerentur, quæ res euentum ſortita eſt. At tu putas ne Anonyme, aut Mediolanenſem Epiſcopum, aut alium ex ijs, quos legati conuenerant, id ſibi iuris ſumpſiſſe? aut ſi auſi hoc eſſent, reperiſſe, qui ſibi parerent? non iam hoc dixeris, aut cogitaueris, ſi quid ſolidæ, ſi quid ſanæ mentis tibi eſt. Eutyches etiam Conſtantinopolitanus preſbyter, & archimandrita, de controuerſiâ fidei Conſtantinopoli exortâ non tantùm ſcripſit ad ſummum Pontificem, quem etiam dicebat ſe appellaſſe,

verùm & ad alios Italos Episcopos. Quid tamen ij rescripserunt? audi Petrum Episcopum Rauennatem: *In omnibus autem hortamur te pater honorabilis, vt his, quæ à Beatissimo Papa Romanæ Ciuitatis scripta sunt, obedienter attendas, quoniam beatus Petrus, qui in propria sede & viuit, & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis, & fidei, extrà consensum Romanæ ciuitatis Episcopi causas fidei audire non possumus.* Quod fieri antiquitùs consueuerat cum Episcopis Romanæ diœceseos, præsertim cum Italis, quos sæpius Romanus Pontifex arcessebat ad deliberandum de totius Christianæ Reipublicæ negotijs, hodieq; fit cum Cardinalibus, hoc est cum sex Episcopis Papæ adsistentibus, & cum primoribus Presbyteris ac Diaconis Romanæ Ecclesiæ, quorum ipse Pontifex consilio vtitur. Cõpertum facilè habere potes, Gallorum Regem alióque Principes, quùm legatos suos Romam mittunt, non ad Pontificem solùm dare litteras, sed & ad Cardinales. Hi enim successerunt Pontificis consiliarij in locum Episcoporum Occidentis. Atque hic ipse dies, quo hæc scribo, (quo etiam Natalis celebratur creationis summi optimiq; Pontificis Pauli V. coacto Cardinalium senatu non tantùm ad sacra solemniter facienda, sed & vt gratulationis officio de more fungantur,) in mentem reuocat, fieri hæc olim consueuisse ab Episcopis, qui eâ de causa Romam conueniebant. Sixtus Pontifex in epistolâ ad Cyrillum Episcopum Alexandrinum anno Christi 433. *Ad beatum Apostolum Petrum*

fraternitas vniuerſa conuenit: ecce auditorium congruens, auditoribus conueniens audiendis. Habuerunt coëpiſcopi noſtri illum gratulationis teſtem, quem habemus honoris exordium. Sanctæ namq; & venerabili Synodo, quam Natalis mihi dies fauente domino congregarat, quia ſic credendum eſt, ipſe præſedit &c. & in Epiſtolâ ad Io. Epiſcopum Antiochenum: *audiuit vniuerſa fraternitas, quæ ad Natalis mei conuenerat diem, qualiter bono humani generis Apoſtolicæ ſedis me præſide gratulentur, &c.* Hilarius Papa in Epiſtolâ ad Epiſcopos Tarraconenſis prouinciæ: *lectis ergo in conuentu fratrum, quos Natalis mei feſtiuitas congregarat litteris veſtris &c.* Ea feſtiuitas inter ſolemnia connumerabatur, veluti illa indicant, quæ profert Anaſtaſius Bibliothecarius in vitâ Hadriani primi: *Denique eius beatitudo fecit & farum maiorem in eadem beati Petri Eccleſia in typum crucis, qui pendet ante preſbyterium, habentem candelas mille trecentas, & ſeptuaginta. Et conſtituit vt quatuor vicibus in anno ipſum farum accenderent, id eſt in Natiuitate Domini, in Paſcha, in Natali Apoſtolorum, & in Natali Pontificis.*

CAPVT QVARTVM.

ALIA INTERPRETATIO NICÆni Canonis sexti. Anonymus in explicandis verbis Conc. Chalcedonensis fallitur, & fallit. De particula Et. Ex Nicæno Canone id minimè elici, quod Anonymus putat. Quadruplici ratione consideratus Rom. Pontifex. De more antiquo. Maiorem fuisse Episcopi Alexandrini diœcesim, quàm Præfecturam Augustalem. Pentapolis à Præfecturâ Ægypti separata. Qua in re præsides Ecclesiastici cum sæcularibus conueniunt. Vetus Ecclesiæ consuetudo quanti facienda. Emaculatus Concilij Ephesini insignis locus. Siciliæ prouincia in dœcesi Romanâ.

QVÆ mea sit de sexto Canone Concilij Nicæni sententia, iam exposui. Ea neq; à Rufino discrepat, neq; à te; si Rufinum rectè capias: si te doceri linas, quænam fuerit peculiaris Romani Patriarchæ diœcesis. Dabit tamen beneuolus lector hanc mihi veniam, vt & aliam interpretationem, quæ dudũ adolescenti venit in mentem mihi, apponam. Ait Canon: *Antiqui mores obtineant, qui sunt in Ægypto, & Libyâ, & Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, nam ea quoq; est Romano Episcopo consuetudo.* Putabam ego hoc fermè vo-

luisse Nicænos patres: *Id seruetur in vniuersa Alexandrina diœcesi, quod ex antiqua consuetudine inductum est, nam & ipsi Romano Episcopo mos est id probare, quod ex vetere vsu in Ecclesia inualuit.* Perinde atq; voluisset Concilium in eo Canone sanciendo normam sibi ex eo proponere, quod Romanus Pontifex consueuisset. Exploratum enim ijs Patribus erat, Romanam Ecclesiam seruantissimam esse veterum institutorum. D. Leo epist. 79. ad Dioscorum Episcopum Alexandrinum, dum loquitur de presbyterorum ordinatione missarumq; celebratione in solemnibus festiuitatibus: *Studiosè ergo dilectionem tuam, & familiariter admonemus, vt quod nostræ consuetudini ex forma paternæ traditionis insedit, tua quoq; cura non negligat, ac per omnia nobis & fide & actibus congruamus.* Neq; mirum, si veteris consuetudinis exemplum desumendum proponeretur ex Romanâ Ecclesiâ, etenim, vt aiebat Rufinus in expositione symboli, *in Ecclesia Vrbis Romanæ neq; hæresis vlla sumpsit exordium, & mos ibi seruatur antiquus.* Sed & hodie quanto studio antiquas traditiones asserit? qua de re bellum acrius geritur cum sectarijs? Neque nouum est, vt Synodi ea sibi statuenda proponerent, quæ probari norant à Pontifice maximo. Patres Ephesini Concilij an non professi sunt, sententiam se esse sequutos, & regulam à Cœlestino Papâ præscriptam in damnando Nestorio? τὸν τύπον (aiebat inter cætera Firmus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus) ἐξεβιβάσαμεν, κανονικῷ καὶ ἀποστολικῷ αὐτὸν κατισάντες χρίσιν, *formam illam executioni mandauimus Cano-*

nicum, Apostolicumq; iudicium in illum proferentes. Non absimilia videre est in Concilio Chalcedonensi, aliisque. Atq; hac quidem ratione interpretabar olim Nicænum canonem, quùm (vt verum fatear) acquiescere non omnino possem doctissimorum hominum opinioni, existimantium, ideò à Concilio id fuisse statutum de potestate Alexandrini Episcopi, quia consueuisset Romanus Pontifex regimen eidem permittere illarum prouinciarum. Verùm assensum postea facilè præbui interpretationi, quam superiori capite firmaui: agi nimirum eo canone de modis Patriarchatuum, ac proinde de speciali diœcesi Romanâ; quum præsertim viderem, non alio pacto intellexisse Patres secundæ Synodi Nicenæ, qui Canone 17. sic loquuntur: *sancta & vniuersalis Nicæna prima Synodus antiquam consuetudinem iubet seruari per Ægyptum, & prouincias, quæ ab ipsa sunt, ita vt horum omnium Alexandrinus Episcopus habeat potestatem, dicens quia & in Romanorum ciuitate huiusmodi mos prævaluit, &c.*

Renuis tu Romanorum Præsulum quantumuis sanctitate per illustrium, ipsiúsque Paschasini Episcopi testimonium in Chalcedonensi Concilio tanquam *de domo, & de sinu proprio* prolatum, dum sextum canonem Nicænum recitaret cum eo (vt ais) additamento, *Ecclesia Romana semper habuit primatum*, quia nimirum erat Paschasinus Pontificis Romani Legatus. Addis etiam impudentissimè, *à Concilio repudiatum palàm, & apertè.* Quid ni igitur verba profers huiusce

repudiationis? Quibus iudicij vſus eſt, átque oculorum, ſecus procul dubio videtur ex interlocutione iudicum, qui in eo Concilio erant. Eorum verba ſic habent: ἐκ τῶν πεπραγμένων, καὶ ἐκ τῆς ἑκάστου καταθέσεως σεσωρευμένων, τῷ τὸ πρώτων μὲν τὰ πρωτεῖα, καὶ τὸ ὀξιωτέρου τιμᾶν, καὶ τοὺς κανόνας τῆς τῶν πρεσβύτερος Ρώμης θεοφιλεστάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ φυλάττεσθαι, *ex his, quæ geſta ſunt, & ab vnoquoque depoſita, perpendimus, ante omnia quidem primatum præcipuúmque honorem ſecundum canones antiquæ Romæ Dei amantiſſimo Archiepiſcopo conſeruari, &c.* Apparet igitur habitam fuiſſe rationem eorum verborum, quibus ex Nicænâ Synodo primatus Romanæ Sedis inſinuatur. Quæ quidem verba non dubito quin ex actis ipſis Nicæni Concilij fuerint deſumpta, eo videlicet loci, vbi cauſa excuſſa fuerat Meletij Lycopolitani Epiſcopi, quæ anſam fortaſſe dedit firmandi vetera Eccleſiarum priuilegia. Alienum verò, atque abſonum eſt, quod addis: *mos hic & alibi Baronio in Concilijs prolata pro probatis ſtatim ſiue palàm, ſiue tacitè, interpretandi. Qua certè Baronij lege nulla non iam hæreſis Concilijs nixa deprehendetur.* Nam quùm hæreſes in Concilijs proferuntur, iam non ſilent Patres, ſed vnanimi calculo damnant, ídque apertis verbis, & magnis interdum clamoribus. At particula illa de primatu Romanæ Eccleſiæ à legato Pontificio laudata, quamuis iudicum aſſenſum interlocutione præſtitum non habuiſſet, dum neminem reperiſſet aduerſantem, an non ſat comprobata ſilentio cenſ retur? *ſed ab vniuerſa Synodo* (inquis) *nulla iſtius rei ratione*

tione

tione habitâ Constantinopolitani Episcopi priuilegia nihilominus confirmata fuêre. non ita est, mi homo. non illâ πρόφασει (quemadmodum tu appellas) nitebantur legati Pontificij ad ea improbanda, quæ se inconsultis atque absentibus decreta fuisse acceperant, sed aliis potius verbis Nicæni Canonis, quibus statuitur, vt vetera Ecclesiarum priuilegia seruentur, quod violatum ibant Calchedonenses Patres. Fac igitur particulam illam abesse, quæ adeò te excruciat, num ideo iniuria non fiebat Nicænæ sententiæ? Tu si agere bona fide nosses, ac ni ad veritatis lumen cæcutires, fatereris vtique, Patres illos nihil huiusmodi sensisse, quod tu sentis de Primatu Romani Pontificis; nec, tametsi non acquieuerunt legatis contra nitentibus, fuisse tamen illos veritos, quin opus foret eâ in re ipsius Pontificis assensione, quam se se impetraturos tandem sperabant. Excute synodalem illorum epistolam, & manum dabis, ni pertinax in tuum caput esse mauis. Vbi enim Leonem Papam certiorem de iis fecissent, quæ in Concilio gesta erant ad fidem spectantia, mox subdunt de priuilegio Constantinopolitanæ Ecclesiæ decreto, quò se necessariò perductos asserunt, vt quieti consuleret prouinciarum Asianæ, Ponticæ, & Thraciæ, quarum Metropolitas ex longo iam tempore consueuerat Episcopus Constantinopolitanus ordinare; obsequentes etiam Imperatoribus, Senatui, atque vniuersæ Vrbi. πεπεισμένοι (addunt) ὡς τῆς ἀποστολικῆς παρ' ὑμῖν κρατούσης ἀκτῖνος, καὶ ὅτι τῷ τῆς Κωνσταντινουπόλεως ἐκκλησίας, σωτῆρος χαρᾷ-

μθμοι, πολλάκις ταύτῳ ἠπλώσατε, ἀφ' τὸ ἄφθονον παρ-
χειν ὑμῖν τὴν τῶν οἰκείων ἀγαθῶν πρὸς τοὺς γνησίους μετάδοσιν, *nobis perſuadentes, quòd emicante apud vos Apoſtolico radio, illo ipſo ex ſolicitudinis veſtræ more Conſtantinopolitanam Eccleſiam ſæpe pertingitis, etenim bonorum veſtrorum participes vbertim facere domeſticos, ac propinquos veſtros conſueuiſtis.* exultant præterea, quia legatis morem non geſſiſſent: οἱ γὰρ τὸν τόπον τῆς ὑμετέρας ἁγιότητος ἐπέχοντες ὁσιώτατοι ὄντες ἐπίσκοποι Πασχασῖνος καὶ Λουκίδιος, καὶ ὁ σὺν αὐτοῖς θεοφιλέστατος πρεσβύτερος Βονιφάτιος, τοῖς οὕτω τυπωθεῖσι σφοδρῶς ἀντεπεῖν ἐπειράθησαν, πάντων ἀπὸ τῆς ὑμετέρας ἀξιάδας καὶ τοῦ ὁσιωτάτου πρεσβύτου κατορθώματος, *qui enim locum veſtræ ſanctitatis obtinent ſanctiſſimi Epiſcopi Paſchaſinus, & Lucentius, & qui cum eis eſt Dei amantiſſimus preſbyter Bonifacius, his ita conſtitutis vehementer reſiſtere tentauerunt, volentes procul dubio à veſtra prouidentia & hoc bonum inchoari, vt ſicut fidei, ſic bonæ ordinationis vobis deputetur effectus.* Non ibo per ſingula, ne legentium abutar patientiâ. epiſtola illa Synodalis illuſtri loco eſt poſita. qui totam percurrere non grauabitur, habebit vnde etiam magis arguat inuerecundiam, qua pronunciare auſus es, teſtimonium illud à legatis Pontificiis allatum de falſo fuiſſe conuictum. Non potuêre tamen ij Patres, non Imperatorum auctoritas Pontificem permouere, vt calculum adiiceret eorum decreto: quippe veteres conſuetudines conuelli, & Nicænos Canones labefactari, pati non poterat. Quin ſe demum vinci paſſi ſunt, cùm Imperator Marcia-

nus, tum ipse Anatolius episcopus. Rem Gelasius Papa enarrat in Epistolâ ad Dardanos iis verbis: *si sibi de Imperatoris præsentia blandiuntur, & inde putant Constantinopolitanæ Ciuitatis Episcopi potiorem fieri posse personam, audiant Marcianum eiusdem Principem Ciuitatis, posteaquàm pro augmento Vrbis, ipsius Sacerdotij intercessor accedens obtinere nihil potuit, sanctæ memoriæ Papam Leonem summis laudibus prosequutum, quod Canonum regulas violari nulla fuerit ratione perpessus. audiant Anatolium eiusdem sedis Antistitem, clerum potius Constantinopolitanum, quàm se tentasse talia confitentem, atque in Apostolici præsulis totum dicentem positum potestate.* Postea tamen Constantinopolitani Antistites Imperatorum auctoritate, ac potentiâ freti omnem mouerunt lapidem, vt honorem illum suæ sedi adipiscerentur. itaque & impensè cauerunt, ne ab eâ possessione, in quam se intruserant, deciderent, & postmodum Callinicus Canonem 36 eâ de re fieri curauit in pseudosynodo Trullanâ. Sentiebant enim, malè fultam illam prærogatiuam, cui Romani Pontificis consensus deesset, quem serò tandem extorserunt.

Sed quid est, quod tu acutissimus Grammaticorum disputas de particula E T? intorques λεπτὸν illud K A I in Romanum Pontificem tanquam telum, quod auerti scilicet ægrè possit. Ex Concilij Nicæni ratiocinatione iis verbis prolatâ ὅπερ καὶ περὶ τὸν τῆς Ρώμης ἐπίσκοπον, redigi ais in ordinem Romanum Episcopum, atque ad parem cum aliis deduci potestatem. Mirum

ſanè myſterium aperis, cuius penetralia tibi vni patebant: profanum vulgus procul arcebatur. Atqui ego (quoniam neceſſe mihi eſt tecum λεπτολογεῖν) didiceram particulam ET, quùm idem ſignificat quod ETIAM, aut QVOQVE, *ſuperlatiuam* dici à Diomede, vimq; habere quodámodo amplificandi. proinde quum ait Chriſtus: *quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum ET in cælis*, illud ſignificari putabam, vt ſacerdotale iudicium diuinâ ſententiâ ratum fieret. At tua iſthæc noua doctrina, humanis diuina haudquaquam præſtare demonſtrat, ſed cœlum ipſum in terram detrahit ingenti vi minutæ voculæ: quod non datum diis Homericis incaſſum laborantibus aureâ catenâ louem deducere. Enim verò (ſi te audimus) efficere homines poſſunt, ne miſericordiâ, & benignitate Deus potior cenſeatur, quia aiebat Chriſtus Luc. 6. *eſtote miſericordes ſicut ET pater veſter miſericors eſt* Sed neque præſtantiâ illâ ſuâ numeris omnibus abſolutâ anteſtabit, quia Matth. 5. ſcriptum eſt: *eſtote ergo vos perfecti, ſicut ET pater veſter cæleſtis perfectus eſt*: Neque excellentiori quadam ratione intelligenda erit diuinarum perſonarum vnitas, quàm ſit Chriſtianorum, ſi quidem ita Chriſtus Deum patrem alloquebatur Ioan. 17. *& ego claritatem, quam tu dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut ET nos vnum ſumus.* Vide quibus ineptiis te inuoluis: ac ſanè niſi intelligis in Euangelicis iſtis locis tanquam exemplum proponi Deum, quem homines imitentur, quoad eius fieri poteſt, non

vt ad diuinam præstantiam omnino assequendam vllo pacto aspirent, ad affines, & propinquos mittendus es. Simili propè modo, quùm in Nicæno canone Romani Episcopi consuetudo in suâ peculiari Diœcesi cæteris imitanda proponitur, non ille ideo cogitur in ordinem, aut esse desinit totius Ecclesiæ præses. Vt propterea rectissimè dixerit Berterius, *nihil de summâ hic auctoritate, totiusque Ecclesiæ procuratione detrahi.* quem tu tamen irrides, tertium Catonem de cœlo elapsum appellans, homo risu non magis, quàm miseratione dignus. Censes, rem illi fuisse incognitam, quæ Canoni sanciendo causam dedit. Ea fuisse videtur, quia Meletius Lycopolitanus Episcopus in Diœcesi Alexandrinâ Episcopos ordinauerat: cognouit Synodus iniuriam factam Alexandrino Episcopo: antiqua ipsius iura firmauit per vniuersam Diœcesim, sicut & ceterarum Ecclesiarum, exemplo proposito Episcopi Romani; quia nimirum antiquum regimen tuebatur Romanus in peculiari suâ Diœcesi, nec (quamuis amplissima foret) turbari à quoquam sua iura sinebat. Cur inde consequatur, quod tu contendis, ego sanè non video. Rem alio exemplo clariorem faciamus. Finge à Tyrensi Metropolitano clericum fuisse ordinatum Tarsensis prouinciæ, siue etiam Episcopum: coactâ Synodo Antiochenæ Diœceseos, & causâ cognitâ, decretum in hæc verba conceptum esse: *Vetus mos obtineat, vt Tarsensis Episcopus in vniuersa sua Prouincia potestatem habeat, nam & Antiocheno Episcopo ille mos est. idem seruetur in Edesse-*

na, Apamienſi, aliúſque. Iam vides, non eſſe iſthæc diſſimilia à canone Nicæno. quæro de te igitur, ſi ita, vti finximus, hæc vſu veniſſent, num exemplum allatum Antiocheni Epiſcopi eidem officeret, quominus præter regimen peculiaris ſuæ prouinciæ, poteſtatem haberet in vniuerſa ſuâ diœceſi? quominus conſtitutus intelligeretur ſupra Metropolitanos Tarſenſem, Tyrenſem, Edeſſenum, ceteros? Non tu hoc dixeris, ſi quid tibi mentis. Cur ergò in re ſimili adeo iniquus es Pontifici Maximo, vt quo te Deus ingenio donauit, id apertis erroribus implicari ſinas, téque deridendum præbeas cum exiſtimationis notâ, & quod magis eſt, cum æternæ ſalutis iactura?

Non piget de integro inculcare, quod ſupra monui, quadruplici ratione conſiderari poſſe Pontificem Maximum, ſiue tamquam Epiſcopum, qui ſuam vrbem habeat, Romam nimirum, cui non alius præeſt Epiſcopus: ſiue tanquam Archiepiſcopum, qui propriam obtineat prouinciam, cuius Epiſcopos recenſitos vides in Codice Prouinciali: ſiue vt Patriarcham, cui propria ſit diœceſis, in qua plures Metropolitæ, veluti Antiocheno in ſua, Alexandrino in ſua: ſiue tanquam Papam, ſummumque rei Chriſtianæ Antiſtitem, qui ſupra ipſos Patriarchas à Deo ſit conſtitutus, ideóque *Patriarcharum Epiſcopus* à Caſſiodoro dicitur lib. 9 var. epiſt. 15. cuius auctoritas nullis coërceatur limitibus. Proinde ſi Epiſcopis lex detur, vt ſuis in Vrbibus, & paroeciis clerum regant, quemadmodum

regi vident à Romano Episcopo in sua Vrbe; si Archiepiscopis, vt in moderandis suis prouinciis exemplar sibi proponant Romanum Archiepiscopum: si Patriarchis, vt Romanum Patriarcham sequantur in tuendis suarum diœceseon iuribus, non ideò efficietur, quin sit Romanus & inter Episcopos Archiepiscopus, & inter Archiepiscopos Patriarcha, & inter Patriarchas supremus omnium Pontifex, & vniuersæ Ecclesiæ moderator. Ea propter vbi Hincmarus Remensis Metropolita specialem Romani Patriarchæ diœcesim nominat, procurationem ei quoque vniuersæ Ecclesiæ datam esse non obscurè pronunciat Integrum locum ex sextâ eius Epistolâ est operæ hic adscribere, quia tu studiosè detruncatum attulisti initio secundæ Dissertationis. *Et quia* (inquit) *sancta Romana Ecclesia, cui sollicitudo omnium Ecclesiarum in B. Petro principe Apostolorum est commissa, plures Metropolitanos in speciali suâ Diœcesi habet, sicut S Leo apud Anastasium Thessalonicensem Episcopum monstrat. similiter & Alexandrina Ecclesia in suâ Diœcesi. Sed & Antiochena sedes nonnullos Metropolitanos in sua Diœcesi habet, &c.* Non est igitur, cur aut tu existimes, Canonem Nicænum quicquam officere supremæ Romani Pontificis in Ecclesias omnes auctoritati, aut timeant alij, ne detrahatur quicquam de summâ illâ procuratione, quùm specialis Diœcesis in exemplum adducitur. Id enim est quod aiebat Nicolaus I. in epistolâ ad Michaëlem Imperat. *Si instituta Nicæna Synodi diligenter inspiciantur, inuenie-*

tur profectò, quia Romanæ Ecclesiæ nullum eadem Synodus contulit incrementum: sed potius ex eius forma, quod Alexandrinæ Ecclesiæ tribueret, particulariter sumpsit exemplum.

Finem huic capiti imponebam, sed tu veluti apprehensa lacinia me retrahis, vt ne intactum prætream, quod differis de MORE ANTIQVO. Si mos antiquus tuebatur Diœcesim Alexandrinam; ergo & Romanam, quæ in exemplum affertur. ita habet tuum argumentum. possem ego vitiosam collectionem notare, sed non lubet in leuioribus hisce tricis hærere. Id tibi igitur do non inuitus. quid inde consequitur? Hoc Canone clare distinguuntur Diœceses, Alexandrina, & Antiochena à Romanâ clarè distinguuntur. Iam perge. *MODVS proinde, & amplitudo consuetæ, seu solitæ Diœceseos Episcopi Alexandrini hoc canone firmatur, exemplo à MODO Romanæ Diœceseos petito.* hîc etiam liberalem me experieris. omnia largior. Modi, & limites earum Diœceseon alter cum Vrbana, alter cum Ægyptiaca Præfectura conueniebant. hoc verò pernego. De Romana Diœcesi res est perspicua. atque vt multis iam demonstrauimus, pluribus tamen infrà euincendum supereſt. De Alexandrina nunc videamus. Nicænus Canon tres illas prouincias, Ægyptum, Libyam, & Pentapolim diserte tribuit Episcopo Alexandrino, quas innnuit ex antiquo tempore fuisse illi subditas. Ideo Patres eiusdem Concilij in Epistola ad Ecclesiam Alexandrinam apud Gelasium Cyzicenum, & Theodoritum

doritum lib.1.cap.9.hoc pacto scribunt. τῇ Ἀλεξανδρέων ἐκκλησίᾳ καὶ τοῖς κατ' Αἴγυπτον, Λιβύην καὶ Πεντάπολιν ἀγαπητοῖς ἀδελφοῖς, *Alexandrinæ Ecclesiæ, & dilectis fratribus Ægyptum, Libyam, & Pentapolim incolentibus.* Ergo Pentapolis subiacebat id temporis Episcopo Alexandrino. Videndum an & Præfecto Augustali? & quidem non paret. Præfecturæ limites designasse Theodoritus videtur lib. 1. cap. 2. iis verbis. Ἀλεξάνδρεια πόλις ἐστὶ μεγίστη καὶ πολυανθρωπος, οὐκ Αἰγυπτίων μόνον, ἀλλὰ καὶ Θηβαίων, καὶ Λιβύων τῶν πρὸς Αἴγυπτον τὴν ἡγεμονίαν πεπιστευμένων. *Alexandria vrbs est amplissima, & populi multitudine referta, nec Ægypti solùm, verùm etiam Thebaidis, & Libyæ, quæ Ægypto adiacent, principatum obtinens.* Hîc Ægyptus angustiùs accipitur, pro ea scilicet parte, quæ Delta dicebatur, & à quibusdam Ægyptus inferior, nam superior Ægyptus Thebais erat. comprehendebantúrque ab vtraque duæ illæ regiones, quæ Augustamnica, & Arcadia postea dictæ sunt. Quamobrem in Nicæno Canone sub Ægypti nomine, tàm inferior, quam superior, hoc est tam Delta, quàm Thebais intelliguntur. Sed & in re Ecclesiastica disiunctim interdum positæ sunt. apud Athanasium Apologiâ secundâ Synodus Diœceseos Alexandrinæ ita indigeratur. ἡ ἁγία συνόδος ἡ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ συναχθεῖσα, ἀπό τε τῆς Αἰγύπτου, καὶ Θηβαΐδος, καὶ Λιβύης, καὶ Πενταπόλεως. *Sancta Synodus Alexandriæ congregata ex Ægypto, Thebaide, Libya & Pentapoli.* Sed plerumque Ægypti nomen vtramque complectitur. Idcirco epistola Zenonis Imperatoris ad Diœcesim

Alexandrinã, quam Euagrius recitat lib. 3 cap. 14. sic inscripta legitur. τοῖς κτ' Αλεξανδρέω, καὶ Αἰγυπτίων, καὶ Λιβύων, καὶ Πεντάπολιν, ἁγιωτάτοις ἐπισκόποις καὶ κληρικοῖς, καὶ μοναχοῖς, καὶ λαϊκοῖς. *Reuerendissimis Alexandriæ Ægypti, Libyæ, & Pentapolis Episcopis, Clericis, Monachis, & laïcis.* Pertinuisse & Thebaidem Episcopo Alexandrino dubium non est. nosti quæ accidere Meletio Episcopo Lycopolitano in prouinciâ Thebaide, qui à Petro Alexandrino abdicatus Episcopatu fuit, qua de re Socrates lib. 1. ca. 3. Theodoritus lib. 1. cap. 11. & Epiphanius Hæresi 68. qui hæc habet inter cætera. τοῦτο γὰρ ἔθος ἔστι τὸν ἐν τῇ Αλεξανδρείᾳ Αρχιεπίσκοπον πάσης τε Αἰγύπτου, καὶ Θηβαΐδος, Μαραώτου τε καὶ Λιβύης Αμμωνιακῆς, Μαρεωτίδος τε καὶ Πενταπόλεως, ἔχειν τὴν ἐκκλησιαστικὴν διοίκησιν. *Hic enim mos obtinet, vt Alexandriæ Archiepiscopus totius Ægypti, ac Thebaidos, Maræotæque ac Libyæ Ammoniacæ, Mareotidisque & Pentapolis Ecclesiasticam habeat administrationem.* quibus ex verbis à Berterio primùm, mox & à te laudatis palàm fit, latiùs se protendisse Patriarchalem illam Diœcesim, quod & significare videtur catalogus Episcoporum, qui Nicæna decreta Ecclesiis miserunt sibi subiectis. Extat apud Gelasium Cyzicenum lib. 2. vbi de Alexandrino Patriarchâ hæc leguntur. Αλεξανδρος Αλεξανδρείας στὺ Αθανασίῳ τότε Αρχιδιακόνῳ ὄντι, πάσης κατ' Αἴγυπτον πάσαν, καὶ Λιβύην, καὶ Πεντάπολιν, καὶ τὰ ὅμορα τούτοις, ἕως τῆς Ινδίας ἐπαρχιῶν. *Alexander Alexandriæ, cum Athanasio tunc Archidiacono, Ecclesiis per totam Ægyptum, Libyam, & Pentapolin, & regiones finitimas*

vsque ad Indiæ prouincias. Fuisse igitur olim prouincias sub Episcopo Alexandrino quæ ad Præfectum Augustalem non spectabant, negandum non est: nam vt omittam quæ proferre possem de Æthiopia, aliisque regionibus, sat mihi fuerit de Pentapoli verba facere, quæ & ipsa Præfecturæ demum accessit, credo post diuisionem Imperij à Constantino factam. Ammianus Marcellinus lib. 22. *Tres prouincias Ægyptus fertur habuisse temporibus priscis, Ægyptum ipsam, & Thebaidem, & Libyam: quibus duas adiecit posteritas, ab Ægypto Augustamnicam, & Pentapolim à Libya sicciore disparatam.* Negotium tibi exhibuit (sat scio) locus hic Ammiani, quùm supra eum laudasti capite secundo, sed leuiter à Canone Nicæno discrepare aiebas. Itáne? careat Præfectura, an augeatur integrâ magnâque Prouinciâ, leuis tibi momenti res est. Quid ni sit, quùm tu pro tuo arbitratu prouincias, & Diœceses alijs adimas, aliis tribuas, adeóque exiguam portionem ei concedas, cui summa credita est rei Christianæ? Libya, quæ Præfecturæ subiecta, & Ægypto erat contermina, Mareotis Plinio dicitur. altera verò Libya, cui finitima Pentapolis, seu Cyrenaïca regio, Ammoniaca erat, quæ siccior à Marcellino nuncupatur. Nec verò mirum non fuisse Cyrenaïcam sub Præfecturâ ante Constantinum: nam Augustus Præfecto tribuit Ægyptum tantummodò à se in prouinciam redactam. Cyrenaïca, seu Pentapolis, & arida Libya antiquioribus temporibus in iura concesserant populi Romani ex libera-

litate Ptolomei, & Apionis. quod tradunt Florus in Epitome Liuianâ lib. 70. Rufus Feſtus in breuiario, Eutropius lib. 6. Ammianus extremo libro 22. Fuiſſéque ipſam Cyrenaïcam Cretæ in adminiſtratione coniunctam, innuit Strabo lib. 16. id etiam indicat vetus inſcriptio Piſauri.

C. LVXILLIO. C. F. POMPT.
SABINO. EGNATIO
PROCVLO. C. R. CVR. RER.
PVBLICARVM. PISAVR. ET FANEST.
LEG. LEG. X. GEM. GORDIAN
CVR. REG. TRANSPAD. CVR
VIAR. ET. PRÆF. ALIMENT
CLODIÆ. ET. COHERENT
LEG. PROV. ACHAIÆ. PRÆT.
ÆDIL. CERIALI. QVÆST.
PR. PR. PROV. CRETÆ. CYR.
TRIB. LATICL. LEG. IIII. FLAV.
PATRONO. COLONIARVM
PISAVR. ET FANEST.

& alia in agro Reatino:

SEX. TADIVS. SEX. F. VOL. LVSIVS. NEPOS
PAVLINVS
PRO. COS. SORTITVS. PROV. CRET. CYR. &c.

Atque vt clarius innoteſcat, Cyrenaicam regionem, ſeu Pentapolim non pertinuiſſe olim ad Præfectum Auguſtalem, inſpice prouinciarum diuiſionem ab Auguſto factam, apud Dionem lib. 53. nec non apud

Strabonem ipsum. In ea reperies, Cretam,& Cyrenaïcam Libyam Senatui reseruatas , ipsi verò Augusto Ægyptum. itaque iis prouinciis Senatus Magistratum dabat: Augustus Ægypto Præfectum ex ordine equestri. Hæc si rectè perpenderis, non video, quid tibi subterfugij sit, quominus fatearis, Diœcesim Alexandrini Episcopi conformem haudquaquam fuisse Præfecturæ Augustali, sed amplioremmultò. At quæres, vnde eius amplitudinis origo? id te quoque docere non recusabo. Tradit D. Athanasius in Synopsi Marcum Euangelistam primum Alexandriæ Episcopum non per Ægyptum solùm, sed & per Libyam, & Pentapolim Euangelium disseminasse. hac veluti victoriâ partas sibi illas prouincias ad successores Episcopos transmisit. Neq; absimili ratione Romana Diœcesis ex Occidentalibus prouinciis constituta fuit, *quùm sit manifestum* (vt ait Innocentius Papa in Epistola ad Decentium Episcopum Eugubinum) *in omnem Italiam, Gallias, Hispaniam, Africam, atque Siciliam, Insulasque interiacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores constituerunt sacerdotes.* Frustra itaque Romanam Diœcesim respondere aiebas limitibus Præfecturæ Vrbanæ, quam opinionem supra reiecimus. Tu tamen hæc quoque verba effutire non dubitasti: *Tantum abest, Episcopus Vrbis Romæ aliarum Ecclesiarum sibi curam iure tum vindicauerit, vel vindicare potuerit, vt contra Suburbicariarum Diœcesim solo more antiquo, & quidem ἐπαρχίας seu Præfecturæ Vrbicariæ exem-*

plo tueri posset: non igitur lege, multò minus decreto, aut ordinatione diuina. Non equidem ignoro, Morem antiquum, de quo in Canone fit mentio, Hincmaro quoque eum esse visum, qui ad ciuilium Magistratuum similitudinem in Ecclesiâ receptus esset; nec tamen, vt omnino Ecclesiastici cum ciuilibus conuenirent, præsertim in Diœceseôn modis. At nosti eundem Hincmarum pronunciasse, Romano Pontifici sollicitudinem competere omnium Ecclesiarum: apertè quoque innuere, Gallicanas Ecclesias in speciali eius esse Diœcesi. quæ siue ampliſſima fuisset (vt re vera erat) siue angusta, obesse nihil poterat summæ eius procurationi totius Ecclesiasticæ Reip. Diuersa igitur erat Diœceseôn ratio, sed administratores Ecclesiastici in eo cum ciuilibus conuenire videbantur, vt quemadmodum in sæculari politia singulis Vrbibus præpositi iis suberant, qui prouincias regebant: ipsi prouinciarum Rectores Diœceseôn præfectis, ita Episcopi Metropolitis, Metropolitæ Patriarchis parerent, sed directi omnes ad vnum Principem, Romanum Pontificem. Id explicat egregiè D. Leo Epist. 84. *Etsi ordo* (inquit) *generalis est omnibus Sacerdotibus, non tamen communis est dignitas omnibus: quia & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis; & quùm omnium par esset electio, vni tamen datum est, vt cæteris præemineret. de qua forma Episcoporum quoque est orta distinctio, & magna ordinatione prouisum est, ne omnes sibi omnia vindicarent. sed essent in singulis prouinciis*

singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia; & rursus quidam in maioribus Vrbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri sedem vniuersalis Ecclesiæ cura conflueret, & nihil vnquam à suo capite dissideret. Huiusmodi igitur dispositio moribus Ecclesiæ recepta, ab ipsis Apostolis fluxisse credenda est. nam (vt ait D. Augustinus lib. 4. de bapt. *quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi Apostolica auctoritate traditum rectissimè creditur.* Huiusmodi moribus eandem vim inesse quæ Conciliorum decretis, non obscurè significat idem Augustinus epist. 119. Quid ergo est, quod tu blateras, *more antiquo, non igitur lege, multo minus decreto, aut ordinatione diuina?* annon, vel ipsi norunt iurisprudentiæ candidati, tam seruandas esse consuetudines, quàm leges? porrò ille ipse antiquus mos, cuius mentio in Nicæno Canone, lex vocatur à Patribus Concilij Constantinopolitani in Epistola Synodica ad Damasum Papam, quæ extat quoque apud Theodoritum lib. 5. cap. 9. περὶ δὲ τῆς οἰκονομιῶν τῆς κατὰ μέρος ἐν ταῖς ἐκκλησίαις παλαιὸς τε, ὡς ἔοικε, θεσμὸς κεκράτηκε, καὶ τῶν ἁγίων ἐν Νικαίᾳ πατέρων ὅρος. *De administrationibus, quæ sunt cuiúsque Ecclesiæ propriæ, cum vetus (vti nostis) lex est, tum sanctorum Patrum in Nicæno Concilio decisio.* Non equidem sum nescius, videri nonnullis esse interdum τὸν θεσμὸν, quod apud Latinos *institutum*. verùm si quis locos scriptorum rutinauerit facile deprehendet, nescio quid augustius huic vocabulo inesse, quàm τῷ νόμῳ, quam

tamen vocem vſurpauit Theodoritus lib. 2. cap. 4. veterem conſuetudinem deſignans, qua Epiſcopi per vniuerſum orbem conſtituti, vbi quis appellaſſet, iudicabantur à Romano Pontifice. Eius hæc verba ſunt de Iulio Papa Euſebianos Romam vocante. ὁ δὲ τῷ τῆς ἐκκλησίας ἑπόμενος νόμῳ, καὶ αὐτοὺς καταλαβεῖν τὴν Ῥώμην ἐκέλευσε, καὶ τὸν θεῖον Ἀθανάσιον εἰς τὸ δικαίως ἐκάλεσε, *ille Eccleſiæ legem* (ſeu conſuetudinem) *ſequutus, & eos iuſsit Romam venire, & diuinum Athanaſium, quò pro ſe in iudicio ipſe reſponderet, vocauit.* Promiſcuus earum vocum vſus tam pro lege, quàm pro conſuetudine perſpicuè indicat, antiquas conſuetudines, & rationi conſonas eandem vim habere, quàm leges. Sed apertius Socrates lib. 2. cap. 3. ex Epiſtola Iulij Pontificis *Canonem* appellat veterem Eccleſiæ morem, quo generalia Concilia fieri prohibebantur abſque conſenſu Romani Pontificis. τῇ ἐκκλησιαστικῷ, inquit, κανόνι κελεύοντος, μὴ δεῖν παρὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης κανονίζειν τὰς ἐκκλησίας. *Statuente Eccleſiaſtico canone, nefas eſſe præter Epiſcopi Romani ſententiam iura condi ab Eccleſiis.* Vide & Nicephorum lib. 9. ca. 5. tanti enim faciendæ erant huiuſmodi conſuetudines, quanti Canones ipſi, vt pote quæ iam inde ab Apoſtolorum inſtituto in Eccleſia inualuerant, quemadmodum fatetur Iuuenalis Hieroſolymitanus Antiſtes de Epiſcoporum cauſis etiam maiorum ſedium à Romano Pontifice cognoſci ſolitis. Operæ eſt integrum locum exhibere ex parte 2. Act. 4. Concilij Epheſini, vt inſigne mendum inde eximamus.

Εὐσεβάλιος

Ἰουβενάλιος ἐπίσκοπος Ἱεροσολύμων εἶπεν. ἐχρῆν μὲν Ἰωαννῆν τὸν ἁγιωτάτον ἐπίσκοπον Ἀντιοχείας ἀγωνιᾶν τὴν ἁγίαν, καὶ μεγάλην, καὶ οἰκουμενικὴν σύνοδον ταύτην, ἵνα εἰς ἀπολογίαν τῶν ἐπαγομένων αὐτῷ δρᾶσειν, καὶ τὸν ἀποστολικὸν θρόνον σωεδρεύοντα ἡμῖν τῆς μεγάλης Ῥώμης, καὶ τῷ ἀποστολικῷ τῆς Ἱεροσολύμων ἁγίας τοῦ θεοῦ ἐκκλησίας, ἵνα ἀκούσας καὶ πύθηται. περὶ ᾧ μᾶλιστα ἔδος αὐτὸν τῶν Ἀντιοχέων θρόνον ἐξ ἀποστολικῆς ἀκολουθείας, καὶ παραδόσεως ἰδίεσθαι, καὶ περὶ αὐτῷ δικάζεσθαι. Quod de Hierosolymitana Ecclesia hic dicitur, dubium non est, pertinere ad Romanam. tantum enim abest vt Hierosolymorum Ecclesia quicquam iuris haberet in Antiochenam, vt potius sub Metropolitana Cæsariensi esset, ipse verò Cæsariensis Episcopus Antiocheno pareret. Res cuique nota argumentis non eget. Sciolus ille, qui Concilij locum interpolauit, ex eo lapsus videtur, quòd legerat, conatum esse eundem Iuuenalem ius sibi prouinciæ Palestinæ vindicare in ipsa Ephesina Synodo. Meminit eius rei Leo Pontifex epist. 62. *In Ephesina* (inquit) *Synodo, quæ impium Nestorium cum illo dogmate suo perculit, Iuuenalis Episcopus ad obtinendum Palestinæ prouinciæ principatum credidit se posse sufficere, & insolentes ausus per commentitia scripta firmare. quod sanctæ memoriæ Cyrillus Alexandrinus Episcopus meritò perhorrescens scriptis suis mihi, quid prædicta cupiditas ausa sit, indicauit, & solicita prece multum popposcit, vt nullus illicitis conatibus præbeatur assensus.* Sed aliud porrò est iura turbare Cæsariensis prouinciæ in Antiochena Diœcesi positæ, aliud Patriarcham ipsum Antio-

chenum ſubijcere, nam verba illa proferre, quemadmodum nunc leguntur, quid aliud fuerat Iuuenali, quàm ſe impudentiſſimè deridendum prębere in re adeò nota? Itaque è verbis illis καὶ τῷ ἀποστολικῷ θρόνῳ Ἱεροσολύμων, &c. expungenda eſt omnino vox illa Ἱεροσολύμων, quæ fortaſſe, aut ex ora paginæ aut ex interlineari ſpacio (ineptiſſimum dubio procul gloſſema) in conceptum irrepſit. Sed & membri (vt ſic dicam) luxatio ſananda eſt. Si quidem ea verba, δίκαιος εἰς ἀπολογίαν τῶν ἐπαγομένων αὐτῷ δρᾶσιν alieno loco poſita videntur, retrahendáque poſt illa: τῆς μεγάλης Ῥώμης. Vt ſententia ſine offendiculo currat, quæ Latinè reddita ea erit: *Iuuenalis Hieroſolymorum Epiſcopus dixit: oportebat quidem Joannem Reuerendiſsimum Antiochiæ Epiſcopum conſiderata ſancta hac & magna, atque vniuerſali Synodo, & conſidente nobiſcum Apoſtolica ſede Magnæ Romæ, confeſtim accurrere, vt de iis ſe purgaret, quæ ipſi obiiciuntur; nec non Apoſtolico ſanctæ Dei Eccleſiæ obedientiam deferre, atque honorem, apud quem maximè mos eſt ex Apoſtolico ordine, & traditione, vt ipſa ſedes Antiochena dirigatur, & apud eundem iudicetur.* Miror id non animaduerſum à correctoribus poſtremæ editionis Romanæ, qui moneri tamen poterant ab antiquis verſionibus Latinis. Porrò *Apoſtolicum* ſimpliciter nominari ſolitum Epiſcopum Romanum, notius eſt, quàm vt exemplis demonſtrari ſit neceſſe.

In extremo hoc capite vbi confeciſſe aliquid de Mediolano tibi videris, in Siciliam transfretas, quam

itidem negas sub Episcopatu Romano vnquam fuisse. Ne quidem (ais) longè post; quùm teste Balsamone suppositia fuerit Patriarchæ Constantinopolitano. Id contigisse censes, ex quo prouocationes à Siciliæ Iudicibus delegatæ à Iustiniano fuêre Quæstori in Vrbe Constantinopolitana. At nulli ne Patriarchæ subiectus fuit ante Iustinianum Syracusanus Episcopus Siciliæ Metropolita? Quidni id aperis? an satis tibi est aërem voce verberare? docuit me certè Nicolai Pontificis Epistola ad Michaëlem Imp. & Metropolitam illum ad Romanum Patriarcham semper spectasse, & longè post Iustiniani tempora Constantinopolitanos Patriarchas iura inuasisse Ecclesiarum Sicularum. Locus in ea Epistola ille est. *Inter ista, & superius dicta, volumus, vt consecratio Syracusano Archiepiscopo, nostra à sede impendatur, vt traditio ab Apostolis instituta nullatenus vestris temporibus violetur.* Videnda est etiam extrema Epistola quarta Leonis primi, qua Siculis Episcopis præcipiebatur, vt terni quotannis ad Concilium Romam commearent.

CAPVT QVINTVM.

DIOECESEOS DIGNITAS QVI censenda. In vniuersa Italia tres antiquitus Metropolitæ. Vox Diœceseos in Synodo Arelatensi. Romanæ Ecclesiæ potestas cælitus data. Romani Episcopi propria Diœcesis. D. Hieronymus cur dictus presbyter Romanæ Ecclesiæ. Hilarij Arelatensis Metropolitæ audacia fracta à summo Pont. Magnus Episcoporum numerus sub Romano antistite. In Suburbicarijs regionibus nulli Metropolitæ. Rauennæ Episcopus à Romano ordinatus. Concilia plura Occidentalia cur non dicantur Oecumenica. A Romano Pontifice legati Episcopi è sua Diœcesi. Ex ipso canone Nicæno elici, Romanam Diœcesim maiorem fuisse Alexandrina. Ethnicorum mendacia. Sectariorum petulantia. Isaïæ locus de dignitate, & diuitiis Ecclesiæ.

SI qui sunt, Anonyme, qui te vel latentem norint, qui benè tibi cupiant, vellent iidem tuæ existimationi consulentes, hoc capite abstinuisses, nam vt in cæteris oscitationes obtrudere potes, in hoc videris consulto consilio ineptire. Iure optimo considerabant Bellarminus, aliique, absurdum videri, si eam exiguæ Diœcesis Romano Episcopo tribu-

ta fuisset, ea nimirum, quam tu comprehensam putas Suburbicariis regionibus. Cur enim data esset amplior Alexandrino, qui secundum locum inter Patriarchas tenebat? cur Antiocheno, qui tertium? Incusandos ais tu mores antiquos, è quibus ea distributio manauit, incusandam Episcoporum Romanorum socordiam, qui iura sui Episcopatus prodidissent. Bilem profectò vnà cies & risum, qui censeas, tam extra se fuisse priscos illos Ecclesiæ Patres, vt quem primum inter Patriarchas statuebant, tam angustam eidem administrationem assignarent. Aut Romanos ipsos antistites, qui omnium Ecclesiarum iura mordicus tuebantur, sua segniter neglexisse. At commodùm te corrigis bina ratione innisus. Primùm ais, non alios fuisse terminos Vrbanæ Præfecturæ, ideò Episcopalem Diœcesim egredi illos non potuisse. Quàm malè consuluit D. Petrus suis successoribus, quùm Roma Antiochiam mutauit, & satis exiguam Diœcesim præ Antiochena iis reliquit? Sed non ille forsitan in futura tempora cogitatione penetrauit: siquidem latius patebat ea tempestate (vt tu quidem censes) Præfecti Vrbani Iurisdictio. Nec præsagiit, oriturum aliquando Anonymum immensæ virum auctoritatis, qui imminuta postea Præfectura egressum Episcopo interdiceret extra eos limites. Præclarè potius actum cum Roma, quod non & ipse Episcopatus ei sit ademptus, ex quo nomen euanuit Præfecturæ Vrbanæ. Ne mireris Anonyme, hoc pacto me loqui: quid enim quæras nisi lu-

ſum tuis iſtis aſſertionibus ? Iam dictum eſt à nobis, quanti ſit facienda tua iſta, quam vſque ad odioſum faſtidium inculcas, ſententia de Diœceſi Epiſcopi Romani Suburbicariis regionibus incluſa; verùm tu illam adeò deperis, non amas ſolùm, vt eâ vnâ te ipſum exoſculeris.

Doces ſecundo loco, ampliſſimis Diœceſibus Ægypti, & Orientis, ſi non amplitudinem, at claritatem Romanæ Diœceſeos poſſe opponi, quia ſita eſſet in illuſtri Italiæ parte: *in qua* (inquis) *Roma ipſa totius orbis caput, arx, & vertex, & Imperij ſedes, domicilium, matérque*

Prima vrbes inter, diuûm domus, aurea Roma.

Gratulor Vrbi, quòd eius tandem ſis miſertus, ac non tam ex lateritia marmoream, quàm ex *caſulis*, ad quas illam initio tui operis redegeras, auream prorſus efficias. Sed nunquid loci ſitus auctoritatem Diœceſeon commendat? non ſitus, inquies, ſed ſubiectorum dignitas. At quorum dignitatem intelligis? non ne Epiſcoporum? nonne Metropolitarum? hi enim Patriarchis ſubiecti (*ſuffraganeos* leni vocabulo appellare Eccleſia conſueuit) quo plures ſunt, & magnarum ſeu Ciuitatum, ſeu prouinciarum, eo ampliorem, illuſtriorémque, efficiunt Diœceſim. At tu, ſi Deo placet, dum ſolas regiones Suburbicarias Romano Patriarchæ aſſignas per paucos Epiſcopos, nullum autem Metropolitam ei tribuis, an hæc tibi nominanda Diœceſis videtur? Diœceſim intelligo, quæ Patriarcharum erat ex

pluribus prouinciis coagmentata. Singulis prouinciis singuli Archiepiscopi, seu Metropolitæ more Ecclesiastico tribuuntur: nec cum ciuilibus diuisionibus conueniunt; nam interdum è pluribus ciuilibus vna Ecclesiastica prouincia efficiebatur. Multas habebat prouincias Italia, paucos Metropolitas. Præter Romanum Pontificem, qui peculiarem quoque habebat prouinciam, cuius Episcopos suffraganeos videre est in Codice prouinciali, etsi ad minorem numerum redactos, quàm prius fuerant, tres inuenio tantùm Metropolitas in vniuersa Italia Constantinianis temporibus, & per aliquot postea ætates, Mediolanensem, Aquileiensem, Rauennatem, quod & à Sigonio animaduersum scio. Spoletinus Episcopus, quem tu superiore diatriba Metropolitanum statuebas Piceni Suburbicarij, id honoris nunquàm sibi arrogauit: quódque non à veteri Ecclesiæ consuetudine, non à Pontifice Maximo accepit, id abs te vltrò oblatum reiicit, nolens Archipontificem te agnoscere, qualem te ipse facere videris. Porrò quòd Ireneus lib. 3. cap. 3. maximam vocat Ecclesiam Romanam, quòd Orientales Episcopi apud Sozomenum suas Ecclesias à Romanis vinci fatentur μεγέθη, ἢ πλήθη. quòd patres primi Concilij Arelatensis anno Christi 316. Syluestro Papæ scribentes iis verbis vsi sunt: *qui maiores Diœceses tenes*, quid tu hic reponis? respexisse illos dicis ad Vrbis auctoritatem, & dignitatem. Miror equidem, à viro non vulgaris ingenij isthæc effluxisse; vt quod tu non facis,

cogar ego rubore pro te suffundi. Atque in hisce immorari, quæ silentio digna sunt, & contemptu, quid aliud sit, nisi bonas horas perdere? Per Diœceses in Synodali Epistola Concilij Arelatensis nominatas non intelligi ais plurium prouinciarum administrationes. Id ferri non ægrè potest, nam si hac notione Diœcesis appellatio id temporis fuisset in vsu, non plurium fortasse numero patres Arelatenses, sed singulari enuntiassent *maiorem Diœcesim*. Erat enim vnica, latissimè quamuis se diffundens specialis Romani Episcopi Diœcesis, quanquam vniuersa hæc Diœcesis plures etiam comprehendebat Diœceses, quæ nimirum sub Primatibus erant Romano Patriarchæ subiectis. Qua de causa Ioannes VIII. Bulgariam suam Diœcesim vocauit, hoc est vnam è Diœcesibus sibi subiectis. Sic enim loquitur in Epistola ad Photium Patriarcham Constantinopolitanum: *ita & nos Diœcesim nostram Bulgariam*, &c. *summa nobis celeritate restitui volumus.* Et rursus: *ab inuasione Bulgariæ nostræ Diœcesis se omnino compescant.* Quibus locis quamuis Diœcesim Græci verterunt ἐπαρχίαν, illa tamen verba eiusdem epistolæ: *de cetero omnem ordinationem Ecclesiasticam ab Ecclesiæ Constantinopolitanæ præsulibus in eadem Diœcesi Bulgaria auctoritate Apostolica amputamus.* Sic Græcè reddita leguntur. τὴν λοιπὸν δὲ πᾶσαν ἐκκλησιαστικὴν χειροτονίαν τῶν Κωνσταντινουπόλεως πατριάρχων ἐν τῇ αὐτῇ διοικήσει τῆς Βουλγαρίας ἀποτομὴν ἀποκόπτομεν αὐθεντικὴν. Magnitudinem igitur, & multitudinem prouinciarum, quæ Romanæ Ecclesiæ

Ecclesiæ specialiter suberant, intellexit Arelatensis Synodus, si locus mendo vacat. nam & Cicero, & Strabo Diœceseon nomen ad designandas prouincias, earúmve administrationes, vsurpasse videntur. Plures ergò Romana Diœcesis, magnásque Prouincias habebat: ex quibus si consueuisset ipse Pontifex legiones, & exercitus comparare ad gerenda bella, ad populos subigendos, non absurdum fortasse videretur, quod tu ridiculè scribis, oppressa Collegarum libertate ad Imperium, quod nunc obtinet, euectum esse. An exercitu instructus erat Agapetus Papa, quùm Anthimum Constantinopoli ab Episcopatu deposuit, & Menam suis manibus ordinauit minitantibus licet Augustis? qua de re Zonaras in vita Iustiniani, & Liberatus in Breuiario cap. 21. An legionum vi coëgit Ioannes Pontifex Epiphanium item Constantinopolitanum Episcopum in ipsa Byzantina Ecclesia humiliori sede considere, quùm Thronum sibi ipse excelsiorem poni iussisset, vt sui loci dignitatem tueretur? quod refert Nicephorus lib. 17. cap. 9. Ni digitus Dei sit hîc, ineptissimos prædicas, & mirè socordes per totum terrarum orbem Episcopos, qui nulla vi compulsi exui se libertate passi essent. Sed re vera fortissima semper fuit Romana Ecclesia, non vtique humanis viribus, sed cælesti præsidio, vt quæ Christianæ rei à Deo exercituum præfecta fuerit. Itaque Irenæus vestras Apostolorum penè πρωτόγονος ipsius Romanæ Ecclesiæ non iam simplicem honoris πρωτεδρίαν (vt tu facis) sed

potentiorem principalitatem prædicat: quo de Irenæi loco legas velim, quæ peracutè Barclaius differit in eleganti ſua paræneſi lib. 1. cap. 10. Quam potens ea ſit *principalitas*, profani non cognoſcunt: cognoſcunt ij, qui Deo acquieſcere non detrectant. Ridebat impius Imper. Iulianus vel Euangeliſtarum imperitiam, qui ſcriberent, Matthæum duabus voculis illectum relictis omnibus Chriſto adhæſiſſe, vel hominum ſimplicitatem, qui tam facilè vocantem Dominum ſequerentur. ignorabat nimirum perditus homo diuinæ vim maieſtatis, quemadmodum monuit D. Hieronymus. Simili modo laborant ſectarij, qui aut ignorant, aut ignorare ſe fingunt vim, ac maieſtatem ſedis Apoſtolicæ, non ſplendorem veritatis hauriunt, non calorem ſentiunt cæleſtis ignis cæci homines & frigidi. At Catholici Epiſcopi obſequij faſces, ac reuerentiæ, volentes ſubmittunt Romano Pontifici, cui gregem vniuerſum à Chriſto creditum, minimè dubitant, ſéque vocatos *in partem ſollicitudinis non in plenitudinem poteſtatis*. Cui vni datam facultatem probè ſciunt, fratres roborandi, vt ſi longiùs abipſo abeant, imbecillos ſe, ac languidos ſentiant. Ad quem iam inde ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio, cauſæ delatæ omnium Diœceſeon, appellationes interpoſitæ. Qui vbi res exegit, Epiſcopos, alióſque Antiſtites quâ honore, & miniſterio priuauit, quâ priuatos ſuas in ſedes reſtituit, neque id in Romana tantùm Diœceſi, ſed quacunque ſe diffundit Chriſtiana Reſpublica. Cuius auctoritate

opus semper habuêre generalia Concilia, vt valida forent. Hæc Romani Pontificis potentia est diuinitùs tradita, quam qui refugiunt, non libertatem adipiscuntur, sed licentiæ fræna laxant. Et quanquam ius eidem Pontifici esset, suam vbiuis locorum exercendi auctoritatem, propriam tamen habebat Patriarchalem Diœcesim, & propriam in Diœcesi prouinciam, & propriam in prouincia vrbem. Neque Diœcesis illa vniuersus orbis erat, vt tu à nonnullis existimari fingis, sed limitibus quibusdam circumscripta, quæ tamen nihil officiebat, quominus omnium vbique Ecclesiarum solicitudinem gereret. Meminit eius Diœceseos Hadrianus Primus Papa, quùm ita scriberet ad Constantinum Imper. *Immò & consecrationes Archiepiscoporum (sicut olitana constat traditio) nostræ Diœcesis existentes penitùs canonicè sanctæ Romanæ Ecclesiæ restituantur.* Olitana (hoc est antiqua) consuetudo quæ hîc nominatur, vtique respondet Nicæno Canoni quùm ait, καὶ πᾶσ ἐν τῇ Ρώμῃ ὅπισκόπῳ τοῦτο συνήθες ἐστιν. At quæ tandem erat isthæc Diœcesis? ea nimirum, quâ Græci recentioris æui, Zonaras, Theodorus Balsamo, Nilus, alij, disertè fatentur comprehensum totum Occidentem. Tu duobus verbis id reiicis, satis esse existimans, quòd Bellarmino, & Baronio haudquaquàm probetur. Verùm nequicquam hoc te scuto protegis. Multo enim magis doctissimi illi Antistites sententiam tuam improbant de Suburbicariis regionibus Diœcesim Romanam coarctantibus: atque ca-

tenus Græcorum, qui Schismatici erant, opinioni non acquieſcunt, quatenus negarunt ab iis videbant, Romani Pontificis auctoritatem, iurisdictionémque Eccleſiaſticam Occidentales egredi limites, hoc eſt ſpecialem ipſius Diœceſim. An non illa ſunt Bellarmini verba? *Etiamſi Nicænum Concilium diſertis verbis dixiſſet, ad Romanum Pontificem propriè Occidentem pertinere, adhuc nihil omnino Nilus obtineret: nam id ſine dubio eſſet intelligendum de Patriarchali Romani Pontificis ditione, præter quam idem ipſe ſummam habet in omnem Eccleſiam poteſtatem.* An non paulò ante faſſus erat idem Bellarminus, Papam eſſe proprium Patriarcham Occidentis? Cæterùm in aperto eſt, quod Græci illi, vt potè rem notiſſimam fatentur, τῷ τῆς Ρωμης ἐπισκόπῳ (inquit Nilus) τοῦτο δέδοται, δηλαδὴ τῶν ἑσπερίων κρατεῖν. *Epiſcopo datum hoc eſt, videlicet, vt Occidenti præſit.* Idem & Balſamo ſcribit. Zonaras verò pluribus id locis teſtatur, præſertim vbi ſextum Canonem Nicænæ Synodi is verbis explicat. βούλεται ὁ κανὼν τὰ παλαιὰ ἔθη κρατεῖν, ὁ καὶ κανόνες μεταγενέστεροι, καὶ νόμοι πολιτικοὶ διορίζονται. τὸν Αλεξανδρείας οὖν ἐπίσκοπον δεῖ τῶν ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει πρόεχειν. καὶ τὸν Ἀντιοχείας τῶν αὐτῷ ὑποκειμένων ἐπαρχιῶν, Συρίας δηλαδὴ, καὶ κοίλης Συρίας, καὶ Κιλικίας ἑκατέρας, καὶ Μεσοποταμίας. καὶ τοὺς ἄλλους ἐπισκόπους τῶν ἐν αὐτοῖς ἐξουσιάζειν χωρῶν. καθὼς καὶ τῷ ἐν τῇ Ρωμαίων ἐκκλησίᾳ προεδρεύοντι τῶν ἑσπερίων ἀρχὴν ἔθος ἐκράτησε. Antiquas conſuetudines ſeruari vult canon, quod & poſteriores canones, legéſque Ciuiles decreuerunt.

Alexandrinum igitur Episcopũ, inquit Bals. iis præesse statuit, quæ in Ægypto sunt, & Libya, ac Pentapoli: Antiochenum subiectarum sibi prouinciarũ, Syriæ videlicet, Cœlesyriæ, vtrique Ciliciæ, Mesopotamiæ, aliósque Episcopos suarum quemque regionum potestatem habere, quemadmodum & Ecclesiæ Romanæ præses, Occidentis principatum veteri more obtinet. Inde ortum, vt Constantiniano edicto, quod & videmus apud Balsamonem ad Photij Nomocanonẽ, traditam legamus Romano Pontifici, *vrbem Romam, vniuersæque Italiæ, atque Occidentalium regionum prouincias.* Non disputo nunc, genuinum ne sit illud edictum, an confictum ab ociosis hominibus, vt Baronius, aliíque suspicantur. Sed siue sit verum fœdéque interpolatum, vt complures credunt, siue suppositititium; illud aio, hac totius traditi Occidentis nuncupatione, vbi exerceret Pontifex ἐξουσίαν, τὴν δυνάμιν τῶν πρεσβειῶν βασιλικὸν τοῦ παγματος, rationem fuisse habitam Ecclesiasticæ eius Diœceseos, quæ per omnes illas regiones protendebatur. Qua de Diœcesi illud quoque scribit Zonaras ad Canonem quintum Concilij Sardicensis. ἐπεκτείνετο δὲ πότε τῇ Ρωμαίων ἐκκλησίᾳ αἱ δυτικαὶ πᾶσαι ἁπλῶς ἐκκλησίαι, αἱ Μακεδονικαὶ δηλαδὴ, αἱ Θετταλικαὶ, αἱ τῶν Ἰλλυρικῶν, αἱ τῆς Ἑλλάδος καὶ τῆς Πελοποννήσου, αἱ τῆς λεγομένης Ἠπείρου. *Subijciebantur id temporis Romanæ Ecclesiæ ditioni omnes ferè Occidentales Ecclesiæ, Macedoniæ nimirum, Thessaliæ, Illyrici, Græciæ, Peloponnesi, & quæ Epirus dicitur.* Neque dissonant quæ notat ad Canonem 28. Concilij Chalcedonensis:

αἱ γὰρ λοιπαὶ ἐξωκήσεις, ἤ τῆς Μακεδονίας δηλαδὴ, καὶ Θεσσαλίας, Ἑλλάδος τε καὶ Πελοποννήσου, καὶ τῆς λεγομένης Ἠπείρου, καὶ τῶν Ἰλλυρικῶν τῷ Ῥώμης τῆς παλαιᾶς ἐπισκόπῳ τότε αἰεὶ ἦσαν. *Aliæ quidem Diœceſes, nempe Macedoniæ, & Theſſaliæ, Græciæque ac Peloponneſi, atque eius quæ Epirus dicitur, nec non Illyrici, Epiſcopo veteris Romæ eo tempore ſubiacebant.* Legati quoque Pontificij apud Guilielmum Bibliothecarium in vita Hadriani II. ſic loquuntur; *Sedes Apoſtolica, iuxta quod Decretalibus Sanctiſſimorum Romanorum Præſulum doceri poteritis, vtramque Epirum, nouam videlicet, veterémque, totámque Theſſaliam atque Dardaniam, in qua & Dardania Ciuitas hodie demonſtratur, cuius nunc patria ab his Bulgaris Bulgaria nuncupatur, antiquitus canonicè ordinauit, atque obtinuit.* Hoſce locos attuli, vt videres, eas quoque regiones, quas Byzantinorum Præſulum ambitio ſibi poſtea vindicauit, in ſpeciali Diœceſi Romani Patriarchæ fuiſſe. Ea propter anno Chriſti 414. coacta Synodus in Macedonia legationem miſit Innocentio Papæ, quem Diœceſeos caput non ſolùm rei Chriſtianæ moderatorem agnoſcebat, ad petendam rerum geſtarum confirmationem. Eos verò Pontifex non nihil reprehendit, quædam etiam ex eorum actis reſcidit, alia confirmauit, vt ex ipſius Epiſtola 22. conſtat. Theſſalonicenſem Epiſcopum, cuiuis liquet, Primatem à Romano Pontifice creari ſolitum, vt Metropolitis earum regionum præeſſet, propterea quòd à ſuo Patriarcha longius diſtabant. Libet etiam huc locum afferre

ex Concilio quodam Romano, cuius pars extat in Codice manuscripto Bibliothecæ Vaticanæ, habito vt ibidem notatur, post consulatum Lampadij, & Orestis die VII. Iduum Decembrium in Consistorio B. Andreæ Apostoli. Concilij verba illa sunt. *Bonifacius Episcopus dixit, quæ lecta sunt transcribantur, & adiecit: si quid est aliud, suggeratur. Theodorus Ethinienſis Ciuitatis Episcopus Thessaliæ prouinciæ per interpretem dixit: ex lectione libellorum vestra cognouit beatitudo, quæ acta sunt contra sacros Canones, & ordinationem decessorum vestrorum. Nam constat, venerandos sedis vestræ Pontifices, quamuis in toto mundo sedes Apostolica Ecclesiarum sibi iure vindicet principatum, & solam Ecclesiasticis causis vndique appellare necesse sit, specialiter tamen gubernationi suæ Illyrici Ecclesias vindicasse. Et nota sunt vobis omnium prædecessorum scripta Pontificum, verumtamen quarundam Epistolarum exemplaria profero, quarum fidem fieri ex vestro nunc scrinio postulo,* &c. Quùm à Pelagio secundo in Epistola ad Eliam Aquileiensem Episcopum appellatur D. Hieronymus *nostræ Ecclesiæ presbyter*, alluſum esse putandum est ad originem Hieronymi, qui Illyricus erat. Nam presbyteratus ordinem ab Antiocheno Episcopo susceperat. Nisi quis malit Romanum postea presbyterum effectum, quùm Damaso ab Epistolis fuit; etenim inualuit apud multos inueterata opinio, Cardinalem illum fuisse Romanæ Ecclesiæ. Diuus quoque Augustinus lib. 1. contra Iulianum Pelagianum ait, Hieronymum ex Occiden-

tali ad Orientalem transiuisse Ecclesiam, quùm habitatum iuit in Palestinam. Sed de Illyricis regionibus in Romana Diœcesi constitutis nullo est pacto ambigendum. Siquidem & Vigilius Papa Constantinopolim proficiscens Episcopos secum duxit suæ ipsius Diœceseos Italos, Afros, Illyricos, qui nec ipsi quintæ Synodo Constantinopolitanæ interfuerunt, quùm viderent Pontificem id recusasse, ne à veteri maiorum suorum consuetudine recederet. Sed nunquid & Africa Romanæ Diœcesi adscribenda est? nullus dubitat. Nam quamquam Carthaginiensis Episcopus plures sibi subiectos Metropolitas haberet, attamen Patriarchæ nomen nunquam gessit, & ab ipsa Diœcesi Romana non nihil pependisse apparet. Ea de causa Honorius Imperator in controuersia inter Bonifacium, & Eulalium, qui Romanæ sedis Pontifices in Schismate renunciati fuerant, non Gallicanos tantùm, sed & Africanos Episcopos inuitauit. Sicut Constantinianis temporibus ad Concilium Arelatense accesserant: quod sanè Concilium ex pluribus Romanæ Diœceseos prouinciis fuit coactum. Sic D. Augustinus Afer Episcopus à Pont. Maximo Cæsaream Mauritaniæ legatus est ad res quasdam eius Ecclesiæ componendas, quod enarrat Possidius in eius vita cap. 14. & meminit ipse Augustinus Epistola 157. & Retractat. cap. 51. Interfuisse etiam Afros quosdam Episcopos designationi Romani Pontificis colligitur ex D. Cypriani Epistola ad Antonianum, tametsi licet

licet suspicari, Episcopos omnes, quibus tempore interregni Pontificij Romæ esse contigisset, ius habuisse calculum ferendi vnà cum Romano Clero ad Papæ electionem. Etenim res omnium agebatur, dum totius Ecclesiæ præses constituendus erat. Inde ortum videtur vt postquàm id ius eligendi ad Senatum Cardinalium translatum est, consueuerint Pontifices, selectos ex vniuerso Orbe Christiano viros in Senatum collocare. Multa præterea eliciuntur ex Africanis Conciliis, quæ specialem Romani Episcopi ἐξουσίαν indicant in illas Ecclesias: quemadmodum & ex Pontificum Epistolis. Ac videnda præ cæteris Epistola 85. S. Leonis Primi.

Quid verò egerint Antistites Romani in Gallicis, Hispanicísque prouinciis, tanquam in propria Diœcesi, cumulatè docent Innocentij, Bonifacij, Cælestini, Leonis, Gregorij, aliorumque Pontificum tam antiquorum, quàm recentiorum Epistolæ. Ex ipsa etiam Nouella constitutione Valentiniani Imper. de Episc. ordinat. addiscere potes, idem in Galliâ fuisse olim perpetratum ab Hilario Arelatensi Episcopo (de quo & Leo in Epist.) quod prius in Thebaïde à Meletio Lycopolitano. Siquidem vsurpauerat sibi Episcoporum ordinationes Romano Pontifice inconsulto. Itaque tam hic conatus ab ipso Pontifice improbatus fuit, quàm ille quondam Meletij à Nicæno Concilio. *Et erat quidem* (ait Imper.) *ipsa sententia per Gallias etiam sine Imperiali sanctione valitura; quid enim tanti*

Pontificis auctoritas non valeret? At quia compluribus magis erat timori sæcularis potestas, quàm Ecclesiastica, decernere ipse quoque satiùs duxit: *ne quid* (inquit) *tam Episcopis Gallicanis, quàm aliarum prouinciarum contra consuetudinem veterem* (est ibi illud Nicæni Canonis τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω) *liceat sine viri venerabilis Papæ Vrbis æternæ auctoritate tentare.* Pontifices tamen quod tam ampla esset Romana Diœcesis, multa permittebant in longinquis regionibus arbitrio Primatum. Secus vsu veniebat in Italia, vbi nullus constitutus erat Primas, sed ex illius omnibus prouinciis sæpissimè conuocabantur Episcopi ad Romanos Conuentus, qui propterea frequentissimi erant. Itaque Galla Placidia Augusta, vbi Romam venisset, Leonem Papam cum maximo Italorum Episcoporum cœtu reperit; his enim verbis vtitur in Epistola ad Theodosium Imper. τῶν συνηθροισμένων τε πλήθη ἐπισκόπων, ὅς τινας ἀπὸ ἀναριθμήτων πολέων ἐν τῇ Ἰταλίᾳ σωήγαγον ὑπὸ τῆς ἀρχῆς τὸ ἰδίου τόπου, καὶ τῆς ἀξίας, *Episcoporum multitudine circumseptus, quos ex innumerabilibus Italiæ Ciuitatibus pro loci proprij principatu, ac dignitate collegit.* Non tu (opinor) Anonyme, innumeras vrbes Suburbicariis regionibus adscribes, etenim perpaucas in iis fuisse fatebaris; & vides tamen collectos tot Episcopos ab ipso Romano Pontifice, tanquam ab ipsorum Exarcho, id enim valet ὑπὸ τῆς ἀρχῆς τὸ ἰδίου τόπου. Sic statim post Nicænam Synodum coëgit Romæ D. Syluester Concilium ex 272. suæ Diœceseos Episcopis. Iulius

itidem centum viginti Episcopos, quos inter connumeratos videmus Archiepiscopos Aquileiensem, Rauennatem, Mediolanensem, sed & Carthaginiensem. In Concilio sub Agathone, quod extat inter acta sextæ Synodi Constantinopolitanæ præter Episcopos omnium Italiæ prouinciarum interfuerunt legati nomine Episcopi Galliarum,& Britanniarum.Sed quemadmodum dubitari nequit, ampliſſimam fuiſſe ſpecialem Romani Patriarchæ Diœceſim, ita quibus olim potiſſimum finibus contineretur, haud adeò certum eſt hodie: præſertim ob vſurpationes variis temporibus emanatas ab inſolenti potentiâ Bizantinorum Antiſtitum. Occidens quidem dicebatur eſſe ſub peculiari eius ac Patriarchali (vt ſic dicam) ſollicitudine, quod & ex eo D. Hieronymi loco in epiſt. ad Marcum presbyterum elicere eſt: *Hæreticus vocor? ſi ab Arrianis, meritò: ſi ab Orthodoxis, qui huiuſmodi arguunt fidem, Orthodoxi eſſe deſierunt: aut ſi eis placet, hæreticum me cum Occidente, hæreticum me cum Ægypto, hoc eſt cum Damaſo Petróque condemnent*; erant enim Episcopi eo tempore Damaſus Romæ, Petrus Alexandriæ.Liquet tamen; & Septentrionem à Romana Diœceſi complexum fuiſſe, & plures etiam in Oriente regiones, quas qui magis Orientales erant, veluti Ægyptij, Syri, Phœnices, inter Occidentales numerare videbantur. Vides Alexandrini Patriarchæ Diœceſim vnico *Ægypti* vocabulo à Hieronymo nuncupari, quamuis & aliæ prouinciæ eidem ſubeſſent ab Ægypto longe diſ-

ſitæ: ita *Occidens* appellabatur ſpecialis Romani Pontificis Diœceſis, à potiori nimirum parte, licet extra ipſum quoque Occidentem longè latéque porrigeretur. Sanè ſi ad antiquiora tempora cogitationem intendimus, quùm trés illæ Patriarchales ſedes, Romana, Alexandrina, Antiochena Eccleſias per orbem terrarum omnes inter ſe partitæ eſſent, perſpicuum fit, in peculiari Romana Diœceſi regiones, & prouincias fuiſſe, quæ ſub duabus iis non erant. Sed (vt diximus) neutiquam hodie facile eſt, certis eas limitibus deſignare.

Porrò quàm vana ſit tua illa opinio de Eccleſiis Suburbicariarum regionum, ex ipſis etiam Epiſcoporum deſignationibus palàm fit. Si plures tribuendi ſunt Metropolitæ in Suburbicariâ à te excogitatâ Diœceſi, quatuor, opinor, illi ſaltem concedes ſingulos regionibus ſingulis præpoſitos. Spoletinum dediſti Piceno Suburbicario: haud æquum eſt, ſuos vt Metropolitas vtrique Latio inuideas, & Tuſciæ Suburbicariæ, quas tu ſolùm prouincias Romanæ Diœceſi tribuebas, nec plures intra centeſimum milliarium numerabas. Emergant itaque & tres iſti ex tua figulina. Quam exinde reliquam facies Romanam Prouinciam? an dices, ſex in ea fuiſſe Epiſcopos, qui vrbem perpetuò incolunt, quíque Cardinales vocantur? Fuerint enimverò, fuerit & alius quiſpiam in continentibus Vrbis. At quùm te non fugiat, ſolitos eo tempore ordinari Epiſcopos à ſuis quémque Metropolitis, quî fieri po-

tuit, vt à Romanis Archiepiscopis tot emanarent Episcoporum ordinationes non magno temporis spacio in tam exiguâ prouinciâ? Calculum pone in ipsa Nicæni Concilij tempora, reperies sanè, si Anastasium Bibliothecarium consulas, intercurrentibus tantummodò ducentis duodeviginti annis, hoc est ab anno Christi 304. ad 523. ordinatos à Romanis Pontificibus mille, eóque amplius Episcopos. Inde elicies quàm magna fuerit Romana Prouincia, quæ vtique prouincia pars Diœceseos erat. Non equidem ignoro, fas fuisse vniuersæ Ecclesiæ Coryphæo, & in alienis prouinciis Episcopos designare, sed non id eo tempore moris erat. Quod iure optimo immutatum est postea, vt eo melius consulatur Ecclesiæ vnitati adeò nobis à Christo Domino commendatæ; quùm referri hoc pacto Episcopi omnes videantur *ad Petri Cathedram* (vt verbis vtar D. Cypriani) *atque ad Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est.* Ordinabant igitur Romani Patriarchæ & suæ prouinciæ Episcopos, & suæ Diœceseos Metropolitas, aut eorum electiones approbantes ordinandos aliis mandabant, si locorum interualla id exigerent.

Ac quoniam nulli re vera erant Suburbicarij Metropolitæ, in longinquiores oras pedem inferamus. Tradit Hieronymus Rubeus ex antiquis monumentis Ecclesiæ Rauennatis, anno à Christo nato 453. Romam contendisse Rauennates cum decreto electionis noui Episcopi in Ioannis locum nuper defuncti, ve-

rùm abnuiſſe Sixtum Pontificem electioni calculum addere, ac diuino monitu Petrum Chryſologum ordinaſſe. Subtraxêre ſe quodam tempore ab huiuſmodi ordinatione Metropolitani Rauennates, ſed rediere tandem ſedente Leone ſecundo. Rem enarrat hiſce verbis Anaſtaſius Bibliothecarius: *Huius temporibus percurrente diuali iuſſione clementiſſimi Principis reſtituta eſt Eccleſia Rauennas ſub ordinatione ſedis Apoſtolicæ, vt defuncto Archiepiſcopo, qui electus fuerit, iuxta antiquam conſuetudinem in Ciuitatem Romanam veniat ordinandus.* Ac poſteà de Sergio Pontifice: *Hic ordinauit Damianum ſanctæ Eccleſiæ Rauennatis, atque Clementem Friſonum. Hic ordinauit Berectualdum Britanniæ Archiepiſcopum.* Hi ſunt ex Metropolitis Romanæ Diœceſeos, non quos tu Anonyme ſomniabas in regionibus Suburbicariis conſtitutos. Quùm Diuus etiam Ambroſius ſcribebat ad Vercellenſes epiſt. 82. *Ordinationem meam Occidentales Epiſcopi iudicio, Orientales etiam exemplo probauêre*, quid intelligit hîc, niſi Romani Pontificis cum ſuâ Synodo aſſenſum? Fiunt hoc quoque tempore Epiſcoporum deſignationes, comprobationéſque eorum, qui electi ſunt, adhibito Cardinalium Conſilio, quos ſucceſſiſſe diximus in locum Synodi conuocari ſolitæ ex Italicis, aliarúmque Occidentalium Prouinciarum Epiſcopis. Ac ſanè quùm Ambroſij electionem comprobaſſet Damaſus, Simplicianum ad eum miſit Romanum presbyterum egregiæ eruditionis, ac ſpectatæ probitatis, qui rudi Epi-

scopo in Mediolanensis Ecclesiæ regimine moderator adesset, ac magister. Quâ de re D. Augustinus lib. 8. confess. cap. 2. Præter Episcopos Romanæ Prouinciæ, & Metropolitas Occidentalis Diœceseos, habebat quoque Romanæ sedis Episcopus nonnullos in eadem sua Diœcesi sibi reseruatos, ab aliis verò Metropolitis exemptos. Quemadmodum de Ticinensi legimus, qui nescio quo priuilegio (credo ex quo Longobardorum Reges Ticini sedes fixerunt) à Mediolanensi Episcopo, cui antiquitùs suberat, se subduxit. Turritanam quoque Ecclesiam in insula Sardinia eodem priuilegio munitam antiquitùs fuisse, tradit Anastasius Bibliothecarius in vita Ioannis V.

Illud quoque consideratione dignum videtur, quòd Concilia ex omnibus licet Prouinciis Occidentalibus congregata, Oecumenica non dicebantur, ob illam opinor causam, quòd ex vna tantummodo Diœcesi conflata essent. Cur enim Concilium primum Constantinopolitanum Oecumenici nomen gerit, Romanum non item eodem tempore à Damaso ob eandem causam celebratum, quùm tamen & multò esset numerosius, & ab ipso firmitas, atque auctoritas Constantinopolitano accesserit? Res profectò, qua de agebatur, ad vniuersam pertinebat Ecclesiam. Romam præterea conuocati fuerant ex vniuerso orbe Episcopi? vt deesset nihil, quominus generale Concilium dici posset. Verùm quia permisit Pontifex Orientalibus hoc est plurium Diœceseon Episcopis, vti Constantino-

polim conuenirent, generalis nomen adhæsit Constantinopolitano, non æquè Romano ex vnicâ tantum Diœcesi, nempe Occidentali, coacto, quæ Diœcesis & Constantinopolitano interfuisse dici potest, postquàm eius Corypheus Romanus Pontifex id confirmauit, tametsi consuetudo esset, *vt in Oriente Orientalium esset Concilium, intra Occidentem Occidentalium*, quemadmodum aiebat D. Ambrosius in Synodo Aquileiensi. Itaque Sardicense Concilium quamuis coactum in Illyrico, regione nimirum Romanæ Diœceseos, inter Oecumenica est connumeratum, vt liquet ex Socrate lib. 2. cap. 16. quandoquidem eò conuenere, & Orientales Episcopi.

Quòd Occidentis Synodus vnius Diœceseos censeretur, clarum etiam fit ex ea, quam Romæ coëgit Agatho Papa ex 125. Episcopis, vt legatos mitteret ad sextum Concilium Oecumenicum, siquidem præter Italos interfuerunt Episcopi Galli, Belgæ, Britanni, ac Synodica ipsa sic inscribitur: Ἀγάθων ἐπίσκοπος δοῦλος τῶν δούλων τοῦ θεοῦ σὺν πάσαις ταῖς συνόδοις ταῖς αἰτησάσαις τῇ συνόδῳ τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου, *Agatho Episcopus seruus seruorum Dei cum vniuersis Synodis subiacentibus Concilio Apostolicæ sedis.* Apertéque in eadem profertur, esse plures ex iis Metropolitis, & Episcopis ἐν μέσῳ τῶν ἐθνῶν τῶν τε Λογγοβαρδῶν, καὶ Σκλάβων, ὅ μέλω δὲ καὶ τῶν Φράγγων, Γότθων, καὶ Βρεττανῶν, *in medio gentium Longobardorum, & Sclauorum, nec non Francorum, Gotthorum, & Britannorum.* Sed infrà clarissimè enuntiat, diffusos esse eosdem

eosdem Episcopos κατ' πα ἀρκτῳα καὶ δυτικὰ κλίματα, *per Septentrionales atque Occiduas regiones.* Quæ quum & doctissimus Bignonius obseruasset, nescire se aiebat, an luculentius testimonium afferri posset ad indicandam Patriarchalem Romani Pontificis Diœcesim.

Legationes quinetiam sunt perpendendæ, quæ à Romanis Pontificibus ad Concilia, ad Imperatores, ad Reges dirigebantur. Etenim Episcopos suæ Diœceseos ad eam rem deligebant. Vnde etiam clarum fiet, Suburbicariis regionibus neutiquam fuisse Diœcesim illam coarctatam. Vincentius Capuensis, & Marcellus æquè ex Campania Episcopus, legati sunt à Liberio ad Concilium Aquileiense: Æmilius Beneuentanus ab Innocentio ad Arcadium Imperatorem: Faustinus Episcopus Potentinus in Picæno à Zosimo ad Carthaginiense Concilium: Ennodius Ticinensis ab Hormisda ad Anastasium Augustum: Germanus Capuanus ab eodem ad Iustinum. E Sicilia Paschasinus Lilybej Episcopus à Leone ad Concilium Chalcedonense: Peregrinus Messanensis ab Hormisda ad Anastasium Imperatorem. E Sardinia Lucifer Calaritanus à Liberio ad Constantium Imperatorem. Ex Hispania Hosius Cordubensis à Syluestro ad Concilium Nicænum, mox à Iulio ad Sardicense. Neque enim dubium, quin fuerit Hosius Pontificis legatus, quemadmodum apertè testatur Gelasius Cyzicenus, & non semel Hincmarus Remensis Archiepiscopus. Ex Græcia quoque Iulianum Coënsem legatione functum pro Leone Papa,

docent acta Concilij Chalcedonenſis: qui etiam Iulianus iuſſus eſt à Pontifice Conſtantinopoli conſidere, vt contineret in officio Archimandritas illos eorúmque Monachos.

Hæc poteras, Anonyme, aliáque indagare, quæ digitum quodammodo intendunt ad veritatis fontem, vnde liquidam haurire potes de Romana Diœceſi ſententiam, non turbidas illas, inanéſque coniecturas Præfecturæ Vrbanæ innixas. Et profectò ſi ſolum ipſum Nicænum Canonem, in quo totius controuerſiæ cardo vertitur, non lippis oculis inſpicere libuiſſet, prolixæ diſputationi parcendum tibi fuerat. Vis enim ipſa argumentationis, quæ inde elicitur, commonefacere te poterat, ampliorem fuiſſe Romano quàm Alexandrino Patriarchæ Diœceſim. Procedit enim argumentatio à maiori ad minus, perinde ac ſi dixiſſent Nicæni Patres, *quoniam videmus Romani Epiſcopi poteſtatem in vniuerſa ſua Diœceſi, quamuis ampliſſima ſit, ſartam tectam eſſe; æquum videtur, vt & Alexandrino Epiſcopo cui minor Diœceſis ex veteri more contigit, idem ius ſeruetur.* Etenim qui ſe ſubducere à poteſtate Epiſcopi Alexandrini nitebantur, ordinationéſque eo inuito facere, quî reprimi poterant Romani Epiſcopi exemplo, ſi illius Diœceſis ea fuiſſet, quam tu fingis? annon dixiſſent illi, mirum non eſſe, ſi tantillam Diœceſim Romanus Epiſcopus ſolus adminiſtraret? ac propterea parum æquam videri veterem conſuetudinem, quæ tam latam Diœceſim Alexandrino

concederet?

Quæ igitur quantáque fuerit Romani Patriarchæ Diœcesis, iam patefactum est. Atque ad hanc non solùm respicere poterat Prætextatus, quum teste D. Hieronymo ludens dicebat, *Facite me Vrbis Romæ Episcopum, & ero protinus Christianus*, sed ad maximam illam auctoritatem, quam Romano Episcopo esse videbat vltra fines quoque Orbis Romani. Nam ad diuitias quod attinet, haud vereor quin Christiani moris ignarus fuerit Ethnicus homo, quemadmodum & Ammianus, qui luxum Damasi carpere videtur, quum tamen sanctissimi illius Pontificis abstinentia, & frugalitas perquam nota fuerit: vt in huiusmodi scriptoribus *mendaciorum loquacitatem* æquè, vt in Tacito Tertullianus, iure optimo notaret. Verùm huiusmodi Ethnicorum dicteriis nimium quantum fauent sectarij, quos sic irritat Ecclesiæ splendor, vt taurorum oculos purpura; quíque impudenti non minùs fronte, quàm Iudæ fuerat, matronarum oblationes improbare non verentur, malléntque diuitias illas in ganeis ab se insumi, quàm ab Ecclesia impendi in pauperum alimoniis, in redimendis captiuis, in ornamentis templorum. Ideò Satyrici versiculum libenter vsurpant:

Dicite Pontifices, in sacris quid facit aurum?

vt vel Deo ipsi Opt. Max. auream gemmeámque supellectilem improperent, quam in sacris ministeriis, & in sacerdotum indumentis adhiberi præceperat. De Ecclesiæ splendore & diuitiis egregium est Isaiæ

vaticinium cap. 60. fore nimirum aiebat, vt poſt illatas ærumnas, & vilipendia ab ethnicis poteſtatibus, ſummam conſequeretur dignitatem, in qua ſcilicet videre nunc eſt ipſum Eccleſiæ præſidem ſupra Reges atque Imperatores euectum: magníſque inſuper polleret opibus ab ipſorum Principum liberalitate congeſtis. Dei verba apud Prophetam ex verſione D. Hieronymi illa ſunt: *Pro eo quòd fuiſti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te tranſiret, ponam te in ſuperbiam ſæculorum gaudium in generationem & generationem: & ſuges lac gentium, & mamilla regum lactaberis.* Ὃ *ſuperbiam ſæculorum* Chaldaïcus interpres reddidit *gloriam ſæculi*, ſeptuaginta interpretes *gaudium* ſiue *exultationem æternam.* Φησω σε (inquiunt) ἀγαλλίαμα αἰώνιον. ſcripſerant fortaſſe αἰώνων, vt reſponderet τῷ *ſæculorum*, quod habet Hebraïca lectio. Sed nihil immutare eſt neceſſe, idem enim valere videtur αἰώνιον. Quòd futurum ait, vt alatur Eccleſia gentium lacte, & Regum vberibus, ad diuitias referendum eſt. Sic enim reddiderunt ſeptuaginta: καὶ πλοῦτον βασιλέων φάγεσαι.

CAPVT SEXTVM.

Ruffini verba iterum expensa, & emendata. Paræneſis ad Anonymum. De Tridentino Concilio. de Miraculis. De progreſſu Romanæ Eccleſiæ. D. Cypriani loca explanata. Virgilij verſiculum è Sibyllinis videri ſumptum. Chriſtus petra, Simon petra. Orientales Epiſcopi membra Romanæ Eccleſiæ, non Occidentales tantùm.

IN portu, iam te Anonyme, nauigare putabas, ſed lacera fractáque tuæ opinionis veluti naui, extremam à te video tabulam contineri, quam neceſſe eſt victis demum brachiis remittas, vt ex ipſo naufragio ſalutem quæras. Nouo ſanè exemplo, ſed Dei prouidentiæ accommodatiſſimo, qui ventoſam hominum ſapientiam confringere amat, vt ſoſpitet pereuntes. Fruſtra inhæres adhuc Ruffini verbis, & cum Baronio luctaris, quòd ſcriptorem illum vacillantis fidei, ingenitæq; obſcuritatis arguat. Ac demus tibi, non labaſcere in eo loco Ruffini fidē, dum Romanam Diœceſim Suburbicarias Eccleſias appellauit; nam verba illa rectiſſimè Baronium fuiſſe interpretatum (quanquam iis non acquieuerit) ſuprà euicimus: reliquorum ſanè verborum contextus aut mendoſus eſt, aut illum falſi-

tatis arguit. Dum enim ſcribit, Nicæno canone ſtatutum eſſe, *Vt apud Alexandriam, & in Vrbe Româ vetuſta conſuetudo ſeruetur, vt vel ille Ægypti, vel hic Suburbicariarum Eccleſiarum ſolicitudinem gerat*, quis non videat aberrare hominem ab ipſo Canone, quo nihil de Romano Epiſcopo definitum eſt, ſed ipſum tantùm eiuſque Diœceſim in exemplum aſſumptam? At tu illum ἐπιτωΐζειν ais. Arabiſſet etiam (vt ſic dicam) non perſuadebis tamen, defendi cum ea lectione fidem illius poſſe. Finge ab Hiſpanorum Senatu hanc eſſe legem latam: *Placet, vt in Regum noſtrorum inaugurationibus ſacra vnctio à Toletano Archiepiſcopo adhibeatur, nam & Gallorum Regibus is mos eſt.* Finge itidem, ſcriptorem aliquem Ruffino ſimilem, dum huiuſmodi legem in ſuos hiſtoriarum libros referret, hiſce verbis vſum eſſe: *Hiſpanico Senatuſconſulto cautum eſt, vt ſacra vnctio in Regum inauguratione adhibeatur, vt vel Hiſpanorum Reges à Toletano Archiepiſcopo, vel Reges Gallorum ab Archiepiſcopo Remenſi inungantur.* Quis porrò helleniſmus ſcriptorem hunc tueretur, quominus conuicia in illum ingereres, iure optimo aſſerens, aut Senatuſconſultum ab eo non perceptum, aut rudem illum eſſe loquendi? niſi clementiori ſententia diceres, eius verba mendo laborare, quemadmodum de Ruffini verbis credere par eſt. Sic enim concepta fuiſſe ſuſpicari licet: *Vt apud Alexandriam, velut in Vrbe Româ vetuſta conſuetudo ſeruetur; vt ille Ægypti, velut hic Suburbicariarum Eccleſiarum ſolicitudinem gerat.* Vides enim

hoc pacto Romani Episcopi exemplum, quemadmodum & in ipso Canone Alexandrino & cæteris esse propositum; nec iam opus tibi est locos indagare, quibus ostendas particulam V E L pro E T positam: nam in sequioris æui scriptoribus id frequens est adeò, vt exempla congerere putidi sit laboris.

Quoniam verò in extremo tuo opere hæc proferre non dubitasti: *Nobis hæc stabit semper sententia, in his de politica Ecclesiastica controuersiis, historiis, Conciliis, & Patrum antiquorum testimoniis adhærere, nullique fidem temerè detrahere*: vbi perpenderis quæ bona fide in medium attulimus ex Conciliis, & Patribus antiquis, necnon ex historicis, si quid ingenui sanguinis tibi est, haud dubito, quin manus vltrò sis daturus ipsi veritati. nec curæ tibi sit, quòd illam detectum tibi veniat tenuissimus homo, qualem me esse fateor, etenim haud Deo operosum est, vel *ex ore infantium & lactentium laudes perficere*. nec te latet supercilioſam huius mundi sapientiam, quæ Deo inimica est, à rudibus piscatoribus superatam fuisse. Laudo, quòd Concilia, quòd veteres Patres consecteris, & nobis idem est propositum. At illud porrò cauendum, ne infelici curiositate mentem torqueas, aut ne sapere tibi ipsi tantùm videaris. Monet nos magnus Apostolus Rom. 12. ne simus prudentes apud nosmetipsos. an tu prudentiorem te existimas, quàm tot integerrimi Antistites, tot viri doctissimi fuêre, qui in ipsis etiam Conciliis excussa veritate, hæreticos esse definiuerunt, qui ea sentiunt,

quæ tu ſentire videris de Romano Pontifice? Crede mihi Anonyme, qui ſanitatem mentis auet, imbibenda illi eſt Chriſtiana ſimplicitas. Hoc præcipuum eſt pharmacum, quo animi deterguntur deliciis ſectariorum infatuati. Tu Concilia, patréſque antiquos à te ſtare autumas (velim vt ne fingas) nos id pleno ore negamus, & nobis meliori iure aſſerimus. Iam rationum momenta, ipſáſque de iis diſputationes omittamus. Fingamus potiùs interiiſſe iam diu Concilia, interiſſe veterum Patrum volumina. Quæro ex te, quæ tua eſſet de Eccleſia Dei ſententia? apud quam nationem, apud quam ſectam conſtituenda tibi illa foret? num Chriſtum ipſum ſua ſponſa viduares? ita ſanè conari videris, dum contendis Romanos Pontifices à recto declinaſſe itinere, quia primatum ſibi vindicant ſupra omnes Eccleſias; vides autem Epiſcopos pænè omnes cum illo conſentire. Nam qui pauci à nobis abhorrent, ſuæ propè quiſque ſectæ ſunt addicti. Itaque ſi veteribus Conciliis ſis deſtitutus, patrúmque teſtimoniis, confer te per ſingulas ſectas, inſpice non ſolùm viuendi rationes, legéſque Eccleſiaſticas, ſed ipſos progreſſus, & qui è cælo defluunt fauores. Tridentinum Concilium, quod è veſtris quidam, aut legitimum ridiculè negant, aut vniuerſale, ſi non id ſit, at concedes ſaltem, comprehenſionem eſſe legum Eccleſiæ Romanæ. Quid tu de hiſce legibus ſentis? quum non vulgari te ingenio numen donauerit, quidni ſpe-rem, ſi librum iſtum ſerió euolueris, illud de te euen-

turum

turum, quod sectario cuidam, non diu est, contigisse accepi. Totus is erat in sua secta confouenda, atque amplificanda, eodem nimirum errore deceptus, quo Saulus, quum Christi discipulos insectaretur. Damnabat is Romanæ Ecclesiæ ritus, & doctrinam, damnabat in primis Tridentinum Concilium, quod tamen nunquam perlegerat. deuenit ei quodam die in manus id volumen: curiositate illectus legere cœpit: iis, quæ legebat, mentem seriò adhibere. Quid te moror? ex ea lectione exuit immoderatos spiritus, lucem hausit, sanitatem recepit, Romanam Ecclesiam veram & Catholicam fassus est. Ex Saulo factus Paulus, quæ oppugnabat, strenuè propugnat, spirántque eius scripta non pietatem minùs quàm sanam doctrinam.

Præter leges nostras, an non animaduertis, quæ miracula à sanctis Hominibus Dei ope quotidie patrantur, apud Catholicos tantùm esse? Ridebis forsitan. Quid tum? an non & Iudæi id faciunt, quum illis Christi miracula prædicamus? nihil sustinet detrimenti veritas ab insipientium risu. Nec sanè miraculorum dona à sua vnquam Ecclesiâ Christus Dominus subtraxit. Mirabar tamen interdum, cur hisce temporibus adeò essent frequentia, quum scirem dari ea in signum non fidelibus, sed infidelibus. noui tandem, quid id sit. Deíque veneror prouidentiam, & benignitatem. Nullas non ille vias aperit, quibus nos ab erroribus auocet, dirigat ad veritatem. comperit, multos esse hac tempestate, qui sanæ doctrinæ de sui Vicarij

poteſtate non acquieſcunt, lubétque experiri, num prodigijs perdomita cedat eorum peruicacia. eodem enim veluti imbre cælitus demiſſo Chriſtianæ quoque prædicationis ab Apoſtolis, aliiſque Chriſti diſcipulis, per orbem terrarum diffuſæ ſeminium creuit. Quandoquidem quis cernens, audiénſue, iſthæc proficiſci ab iis qui ſtant à Romano Pontifice, non continuò fateatur, à Deo illos diligi? nec fieri poſſe, vt de Religione prauè ſentiant, qui Deo cari ſunt? πῶς γὰρ αὐ καὶ ἐδωάλῳ βλασφημῶν εἰς θεὸν δυνάμεις ἔπιτελῶν, dictum eſt in ſextâ Synodo Conſtantinopolitana.

Præterea quos vides progreſſus feciſſe Romanam Eccleſiam à potentiſſimis licèt hoſtibus pertinaciter exagitatam, cós ne debet legionibus, an religioni? Appoſitè cecinit D. Proſper:

Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris
Facta caput mundo, quantum non poſſidet armis,
Relligione tenet.----

Fuit hoc Dei Opt. Max. conſilium, vt Vrbs, quæ in ſui Vicarij iura conceſſura erat, caput Orbis diceretur, quamquam pars Orbis maxima Romanum dominatum neſciret. Nam quæ nunc adeò remota eſt regio, quò non Romanæ ſedis Pontificiæ auctoritas peruadat? ſunt Reges, ſunt Principes à Chriſtianis legibus alieni: ſunt alij, qui ſuaue iugum Eccleſiæ excuſſerunt, vt licentiæ litarent; at in Regnis eorum, & ditionibus, quot homines degunt, qui Romano Pontifici parent? qui vitam priùs effundere ſunt parati,

quàm sint in Pontificia præcepta contumaces? Ipsi Augusti Regésque Catholici, qui sunt, qui fuerunt, nihil de maiestate suâ detractum credunt, quum majestati Pontificiæ se subiiciunt. Gallorum Reges animo tecum ipse reputa, Pipinos, Carolos, ipsos Ludouicos; quàm egregiè sibi consulere, quantam indipisci gloriam arbitrati sunt, quum Romanos Pontifices pietate ac veneratione eximia prosequerentur? An non heri, aut nudius tertius Iaponij legati, gentésque nostris obuersæ pedibus, tot demensis terrarum marísque spatiis, tot exhaustis laboribus Romam appulerunt, vt in Pontificis obsequium pronæ ruerent, suorúmque Regum in illum obseruantiam coram testarentur? Quis Episcoporum hæc sibi aliquando expectauit, quos tu Anonyme Romano pares facere tentas? Immò quò eorum conatus ceciderunt, qui Patriarchali olim dignitate conspicui primo ipsi ac summo Antistiti aduersari sunt ausi? circumspice animo, & si quis tibi humanitatis sensus est, non absque lacrymis percipies, qui sint rerum exitus consequuti. Atque vtinam vanum fuisset Leonis Papæ vaticinium, quum Marciano Augusto scribens de Anatolio Constantinopolitano Episcopo, iis verbis vsus est: *propria perdit, qui indebita concupiscit.*

Iam verò, & ipsa temporum spacia perpende, quibus suâ in maiestate stat Romana sedes. Illam sanè deprehendes diuturnitate conualuisse, quippe solida in Petra fundatam, atque ab ipso suo exortu Primatum

ſemper ſuum tuitam eſſe, ſuam (vt aiebat D. Irenæus,) *potentiorem principalitatem.* Nimirum ea eſt, ad quam teſte Cypriano perfidia habere non poteſt acceſſum. Quum tu Theodoſij conſtitutionem laudares, in qua illa verba legimus : *Cunctos populos, quos clementiæ noſtræ regit temperamentum, in tali volumus religione verſari, quam Diuum Petrum Apoſtolum tradidiſſe Romanis, Religio vſque nunc ab ipſo inſinuata declarat*, auream eſſe ſanctionem dixiſti, & tamen ſanctiſſimum Pontificem Damaſum, qui tum viuebat, aliquoties perſtringis, quemadmodum & anteceſſores, quos aiebas ſæculari typho ius ſibi ac poteſtatem in alios Epiſcopos vſurpaſſe. non equidem ſum neſcius, loqui Theodoſium de fide quæ ad Chriſti diuinitatem patri æqualem reſpiciebat, verùm ſcio, illibatam illam Religionem, quæ à Petro ad Theodoſij vſque æuum, & exinde ad noſtra tempora promanauit, eandem quoque eſſe in aſſerendo primatu, qui Petro ipſi datus à Chriſto fuit, non qui à dignitate Vrbis Romanæ effluxerat. An non D. Petrus, antequam Romam videret, principem ſe cæterorum Apoſtolorum, Eccleſiæque præfectum norat? Ridiculè non minùs faciunt quàm indoctè, qui D. Cypriani locum ex Epiſtola 71. ſecus quàm par eſt, interpretantur. verba Cypriani ea ſunt: *Nam nec Petrus, quem PRIMVM Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, quum ſecum Paulus de circumciſione poſtmodum diſceptaret, vindicauit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit.*

vt diceret se primatum tenere, & obtemperari à nouellis & posteris sibi potiùs oportere. Hoc enim voluit Cyprianus, non incognitam fuisse Petro sui vim Primatus, sed eâ vti, demissionis gratiâ, noluisse, quum Pauli consilium ratione niti videret, essèque expansis vlnis excipiendum. Vide eâ de re eruditissimum Pamelium. Sic hodiéque Romani Pontifices nihil ardui aggrediuntur, quin priùs Consiliariorum suorum sententiam exquirant, hoc est, R. E. Cardinalium, intelligentes reperiri se interdum posse reprehensioni obnoxios, quemadmodum, quum de Circumcisione ageretur, repertus est Petrus, D. Paulo teste, Galat. 2.

Igitur Romana Ecclesia eadem est, quæ in sui exordio fuit, seu fidei integritatem spectes, seu Primatus honorem, nec auctoritas eius ac potestas vllis circumscribi potest terminis aut regionum, aut temporum, siquidem Christi vices gerit, in cuius manum omnia Pater tradidit, quíque nobiscum se permansurum pollicitus est vsque ad consummationem sæculi. Eleganter scribebat Nicolaus Pontifex in Epistola ad Michaëlem Imperatorem: *Priuilegia istius sedis vel Ecclesiæ perpetua sunt, diuinitus radicata, atque plantata sunt: infringi possunt, transferri non possunt: trahi possunt, euelli non possunt. Quæ ante Imperium vestrum fuerunt, & permanent (Deo gratias) hactenus illibata, manebúntque post nos: & quousque Christianum nomen prædicatum fuerit: illa subsistere non cessabunt immutilata.* Veriùs itaque dixerit, non de Senatu popu-

lóque Romano Virgilianus Iuppiter, ſed de Romanis Pontificibus verus ac ſupremus mundi opifex;

His ego nec metas rerum, nec tempora pono.

nam ſi quid hariolari licet (cur enim coniectandi ſcientiam tibi ſolus vindices?) facilè exiſtimem, de Pontificiâ poteſtate fuiſſe iſthæc prolata, eáque Maronem è Sibyllinis oraculis in ſuum poëma tranſtuliſſe. Quàm fuerit is Poëta Sibyllinorum carminum ſtudioſus, ecloga ipſa quarta luculenter docet. Suſpicionem verò meam adiuuat Claudianus de Bello Gildon. vbi Romæ votum ad Virgilianum verſiculum reſpicientis iis verbis inter cætera conceptum legitur:

Si mea manſuris meruerunt mœnia naſci
Iuppiter auſpiciis: ſi ſtant immota Sibyllæ
Carmina, &c.

Sed poëtas valere iubens, ac ſpecioſas huiuſmodi coniecturas, te Anonyme obteſtor, vt non Conciliis tantùm, & patribus antiquis, quos ambigi non poteſt nobiſcum eſſe, ſi bona fide ad veritatis trutinam perpendantur, & æquis vtamur iudicibus, ſed iis etiam argumentis, quæ conſideranda in medium protulimus, mentem ſeriò adhibeas, euoluáſque præcipuè aureum libellum de Notis Eccleſiæ Cardinalis Bellarmini doctrinâ non minùs ac pietate, quàm honorum infulis illuſtriſſimi. Nam, ni obtuſum omnino cor geris, tot eſſe linguas iſthæc agnoſces, quibus ſupremus rerum conditor è cælo nos alloquitur, quibus

liquidò indicat, Romanum Episcopum à se esse electum, apud quem Religionis, atque Ecclesiæ Principatum statueret. Ridebisque nobiscum, aut miseraberis potiùs infelicem desertorem, qui cęcæ ambitioni incubans nescio quæ sibi somnia finxit, vt se parem faceret Episcoporum Episcopo, sperauitque fortasse, si alias regiones quæreret, in iis imaginum blandimentis fruiturum sese Endymionis somno. Censuit quinetiam, meliùs secum actum iri, si charactere Episcopali verè insignitus inter Episcopos degeret, qui nomine tenus sunt Episcopi, *qui* (vt aiebat D. Cyprianus) *se præpositos sine vllâ ordinationis lege constituunt, qui nemine Episcopatum dante Episcopi sibi nomen assumunt.* Sed inflectur quantumuis ille, atque intumescat, disrumpetur potiùs vt Æsopeia rana, quàm vt maiorem dignitatem vel apud perfunctorios Episcopos adipisci queat. Sunt qui suspicentur, eius te hominis satellitem esse, tuúmque libellum veluti anteambulonem præmissum fuisse eius operis, quod ille nuper edidit. Verumenimvero meliori ego te genio, atque ingenio natum conijcio, spémque esse, vt tu faciliùs sanioribus consiliis animum sis compositurus. Existimare illum audio, (neque enim librum videre adhuc licuit) Episcopis singulis datum esse, vt vniuersam Ecclesiam in solidum regant: videtúrque sententiâ abuti D. Cypriani aientis in libro de vnitate: *Episcopatus vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur*: non animaduertens, dicere Cyprianum, suam cuique Episcopo partem esse

tributam, quum *ſingulis paſtoribus* (vt ſcribit etiam epiſt. 55.) *portio gregis ſit adſcripta, quam regat vnuſquiſque & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus.* At voces illæ *in ſolidum* vnanimem Epiſcoporum conſenſionem denotant, dum tamen ſuum quiſque gradum tueatur, ac nemini fas ſit, Eccleſiam ſeiunctim habere ab vniuerſali Eccleſia: Vniuerſali verò Eccleſiæ ſuum tanquam fontem eſſe, ſuam radicem, videlicet Romanam ſedem, apertiſſimè indicat ille idem Cyprianus epiſt. 45. quippe illam vocat *Eccleſiæ Catholicæ radicem, & matricem.* Neceſſe igitur eſt, quælibet Eccleſia ad hanc reuocetur. atque illud eſt quod aiebat Irenæus lib. 3. contra hæres. (non enim piget integerrimi & vetuſtiſſimi Patris aureum dictum pluries repetere) *Ad hanc Eccleſiam* (de Romana loquitur) *propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt vbique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt vndique, conſeruata eſt ea, quæ ab Apoſtolis eſt, traditio.* Id tribus exemplis conatur Cyprianus ob oculos ponere, ſic enim loquitur libro de Vnitate: *Epiſcopatus vnus eſt cuius à ſingulis pars tenetur. Eccleſia quoque vna eſt, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur: quomodo Solis multi radij, ſed lumen vnum: & rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci radice fundatum: & quum de fonte vno riui plurimi defluunt, numeroſitas licèt diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen ſeruatur in origine. Auelle radium ſolis à corpore, diuiſionem lucis vnitas non capit:*

capit : ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit : à fonte præcide riuum, præcisus aresçet, &c. E tribus hisce exemplis mirè congruit secundo loco positum. Vt enim contuemur in arbore caudicem ipsum (*robur* vocat Cyprianus, velut etiam Arnobius de Pinu loquens matris Deûm) quæ potior est arboris pars, & prouenientes è summo caudice ramos quosdam maiores, ex iis minores alios, ex minoribus surculos, qui omnes vnam efficiunt arborem, in eóque consentiunt, vt velut in solidum frondes, floréſque ac poma producant : ita *Episcopatus vnus* (vt idem Cyprianus aiebat epist. 52.) *Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus* potiorem sui partem, velut arboris stipitem, Romanam sedem agnoscit. Huic proximi sunt Patriarchæ, tanquam grandiores quidam rami : iis minores sequuntur Archiepiscopi seu Metropolitæ : ex ipsis verò veluti ramusculi pendent Episcopi, laborántque hi omnes in solidum vt Christi gregem suâ vmbrâ foueant, suis pomis alant. Et quemadmodum in arbore non surculi dedignantur ramis inniti, non rami ipsi prægrandibus ramis, non hi stipiti; ita quò suus in Ecclesia ordo seruetur, necesse est vt qui tantummodo Episcopi sunt, superiores agnoscant Metropolitas, Metropolitæ subsint Patriarchis, Patriarchæ tanquam ad omnium matricem referantur *ad Petri cathedram* (verba sunt Cypriani epist. 55.) *atque ad Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est.* Sicuti verò efficere in arbore non

potes, vt truncus ipſe ſiue caudex inter ramos, aut ſurculos computetur, ita non poteſt Romanus Epiſcopus, à quo reguntur ceteri, in ordinem redigi, quod tu cenſebas Anonyme. Quòd verò arboris ſtipes radici inhæret, quæ radix quamquam ſub terra latens totius arboris caput dici poteſt; id quoque in Eccleſia agnoſcere eſt, quæ caput ſuum, ac fundamentum non obiectum oculis habet Chriſtum Dominum. Ac ſanè quum arborem inſpicimus, ex iis partibus, quæ viſu vſurpantur, appoſitè dicimus, caudicem ipſum fundamentum eſſe totius arboris: pari quoque modo in viſibili Eccleſia viſibile caput cenſeri Romanum Pontificem, non abſurdè prædicamus. Neque non propterea verè & propriè caput, & fundamentum Eccleſiæ Chriſtum ipſum fatemur eſſe. Sed bonitatem eius agnoſcimus, quòd non dedignatus ſit honorificæ huius appellationis participem illum facere, cui vices ſuas commiſit. Quemadmodum & Petræ nomen ipſi Apoſtolorum principi indidit. Qua de re elegantia ſunt adeò magni Baſilij verba in homilia de Patientia, vt temperare mihi non poſſim, quin ea huc transferam: Πέτρος εἰπών, καὶ μὴ μακαρίσῃς, εἰπὼν ὅτι υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος, καὶ ἀκούσας ὅτι Πέτρα εἶ, ἐνεκωμιάσθη. Εἰ γὰρ καὶ Πέτρα, ἀλλ' οὐχ ὡς Χριστὸς Πέτρα. ὡς Πέτρος Πέτρα. Χριστὸς γὰρ ὄντως Πέτρα ἀσάλευτος. Πέτρος δὲ ἀφ' αὐτοῦ Πέτρας. χαρίζεται γὰρ Ἰησοῦς τὰ ἑαυτοῦ ἀξιώματα, οὐκ ἀποκενούμενος, ἀλλ' ἔχων ἃ δίδωσι. Φῶς ἐστιν. ὑμεῖς ἐστὲ τὸ φῶς τοῦ κόσμου. ἱερὰς ἐστιν, πᾶς ἱερεύς. παράκλητός ἐστιν· ἰδοὺ ἀποστέλλω

ὑμᾶς ὡς προβάλλα ἐν μέσῳ λύκων. Πέτρα ὄς· Πέτραν ποιῶ, καὶ τὰ ἴδια χαρίζεται τοῖς δούλοις. *Dixerat iam Petrus, & beatus pronunciatus fuerat, dixerat vtique, Tu es Filius Dei excelsi, & vicissim laudatus audierat: Tu es Petra. licèt enim Petra esset, non erat Petra quemadmodum Christus. vt Petrus, Petra erat. Siquidem Christus Petra est immobilis, Petrus verò propter Petrum. largitur namque Iesus suas dignitates, nec iis tamen spoliatur, sed eadem, quæ dat, adhuc retinet. Lux est: Vos, inquit, estis lux mundi. Sacerdos est, & facit Sacerdotes. Ouis est: Ecce, ait, mitto vos sicut oues in medio luporum. Petra est, ac Petram facit. quæ sua sunt, largitur seruis suis.* Si Apostolorum antesignanus vetus quoque nomen retinuisset, nihil erat quominus vocari apud Latinos potuisset, *Simon Petra*, quemadmodum appellabantur apud Romanos Iulius Aquila, Æmilius Bucca, Iunius Hasta, Cornelius Merula, Sempronius Musca, Fabius Ouicula, Aruntius Stella, Trebatius Derba, & id genus complures. verùm priore nomine antiquato maluerunt Latini auribus consulere, quod Græcis non perinde *fuit* necesse, apud quos ὁ Πέτρος idem est quod ἡ Πέτρα. Igitur Romana sedes à Petro instituta, in qua & ad obitum vsque sedit, & successorem reliquit, Petra est in Ecclesiæ ædificio, sed propagata quodammodo ab ipsa principaliori Petra, qui Christus est, & veluti (vt diximus) caudex in arbore radici cohærens. Sed quemadmodum ramusculi, qui prope radicem progerminant, atque in oblongo caudicis corpore non magis

dicuntur ipſius caudicis membra, quàm prægrandes rami, aliíque in ſummo cohærentes, ita Romanus Pontifex, quem Occidentalium Coryphæum nominat D. Baſilius epiſt. 10. non magis ſua membra cenſet Occidentales Epiſcopos, eos nimirum, qui in ſpeciali ſua Diœceſi ſunt, quàm Orientales ipſos. Eapropter hoc ſe nomine appellare videmus ipſoſmet Epiſcopos Orientales in Synodali Epiſtola primi Concilij Conſtantinopolitani ad Damaſum Pontificem data. Sic enim loquuntur: ὅπως μὲν τῷ ἀδελφικῷ σου εἰς ἡμᾶς ἀγάπῃ ἐπιδεικνύμενοι, σπουδὴν ἐποιήσατε τῆς Ρώμης τοῦ βουλήσει συνεροῦντες, καὶ ἡμᾶς ὡς οἰκεῖα μέλη συγκαλέσασθε, δῆλον τοῖς τοῦ θεοφιλεστάτου βασιλέως γράμμασιν, &c. *Iam verò quoniam vos, quò fraternam veſtram erga nos charitatem declararetis, Concilium Deo volente Romæ cogentes, nos quoque veluti membra propria per Deo amantiſſimi Imperatoris litteras accerſiuiſtis.* Et Innocentius primus epiſt. 26. Eccleſiam Hieroſolymitanam ſui gregis membrum appellat. Vt enim attrahit caudex ab radice alimentum, quod in ramos, cæteráſque arboris partes transfundit, ita Romana, hoc eſt Petri, ſedes haurit à Chriſto poteſtatem, quam cæteris Epiſcopis communicat: hac enim ratione vnitas in Eccleſia conualeſcit. B. Optatus lib. 7. contra Parm. *Bono vnitatis Beatus Petrus & præferri omnibus meruit, & claues Cælorum communicandas cæteris ſolus accepit.* Non ergo vltra limites ſuos tendit Romanus Pontifex, quum in quibuſuis Diœceſibus poteſtatem ſuam exercet, vbi opus

est, idque bono Ecclesiæ conducere perspicit. Nec quod tu Anonyme obiicere es ausus, obiecit quisquam Cælestino Pontifici, quum scribebat ad Episcopos Galliæ : *sit concessis sibi contentus vnusquisque limitibus*, non Hilario, quum procurandum monebat, *ne quisquam frater in alterius prorupturus iniuriam transcendat terminos venerandis patribus constitutos.* Non Leoni, quum aiebat in Epistola ad Anatolium : *manentibus terminis, quos constituerunt patres, nemo in ius tendat alienum.* Quum idem Leo Pulcheriæ Augustæ hisce verbis vsus est : *Constantinopolitanæ verò præsuli Ecclesiæ (quia amplius quàm assequutus est concupiscit) quid illi satisfaciet, si tantæ Vrbis magnificentia, & claritudo non sufficit?* expectauít ne Augusta, vt tu aliquando exorireris, qui Pontifici obtruderes Lucani hemistichium, *Quid satis est, si Roma parum?* quod proximo capite feciſti? Iam verò huiusce petulantiæ tandem te pudeat, nec tametsi sub persona lateas, fas tibi esse credas, conuicia velvti ex plaustro iacere in sanctissimos Christi Martyres, aliósque quos cælesti Curiæ adscriptos veneratur Ecclesia. horum enim solicitudo, dum Romanam sedem tenerent, per vniuersum Christianum orbem protendebatur, non vt ambitioni obsequerentur, quæ à sanctissimis Pontificibus longè aberat, sed quia norant vniuersam sibi dispensationem creditam esse, atque ad reatum suum tendere, si non vbique terrarum se vigiles præstitissent. Hæc vt verissima sunt, sic maximè velim, Anonyme, diuina vt præeunte gratia animum

tibi penetrent, qui ſanis conſiliis acquieſcas: etenim

---ἀνεῳγέ τι φρένες ἐσθλῶν.

ac ne differas ſupercilium deponere; ad Romanam, hoc eſt ad Catholicam redire Eccleſiam, quæ te expanſis vlnis moratur. Quid diutius ſalutem tuam negligis, pro qua ego vel ſanguinem lubens paciſcar? verè loquor, ex animo loquor; ne tu me ſuſpiceris maleuolentia ſuffuſum aduerſus tuas diſceptationes ſcripſiſſe. quî enim poſſim, quum nulla te ratione cognitum habeam? docet me Chriſtiana Charitas, vt omnium, quacumque ex gente ſint, ſalutem exoptem, ac (ſi quà licet) procurem. velim tamen ſcias (ſi tu non falsò Gallum te profiteris) plures eſſe nobiliſſimos viros, & doctiſſimos cùm Pariſiis, tum aliis in vrbibus Gallicis non vulgaris beneuolentiæ vinculo mihi adſtrictos. vt hoc etiam nomine vehementer cupiam, appulſum te videre ex errorum pelago in veritatis ac ſalutis portum. Vbi Deo faciente id egeris, me meáque hæc ſcripta, ſat ſcio, amabis: nec oderis ſi quas in iis deprehendiſti punctiunculas: vt medicorum ferramenta nemo odit, quæ in morbi curatione expertus eſt. Vtar verò tecum pro corollario D. Hieronymi verbis, quibus Rufinum tuum alloquutus olim eſt: *Sit inter nos vna fides, & illicò pax ſequetur.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

SVMMA PRIVILEGII
Regis Chriſtianiſſimi.

LVDOVICI XIII. Franciæ & Nauarræ Regis Chriſtianiſſimi authoritate conceſſum eſt SEBASTIANO CRAMOISY Bibliopolæ Pariſienſi Iurato, typis mandare, & venalem habere librum qui inſcribitur, *HIERONYMI ALEXANDRI Junioris J. C. Refutatio coniecturæ Anonymi ſcriptoris de Suburbicariis regionibus*, &c. Aliiſque cuiuſcumque conditionis interdictum eſt intra decennium, vt patet in diplomate Regio dato Turoni 25. Iunij, 1619.

Subſignato,

DV IARDIN.